OBSERVATIONES

AD AETATEM TITVLORVM LATINORVM CHRISTIANORVM DEFINIENDAM SPECTANTES

SCRIPSIT

CAROLVS CAESAR

BONNAE
APVD FR. COHEN
MDCCCXCVI

Christianarum inscriptionum studia his proximis decem lustris quam plurimum prouecta sunt inprimis Joannis Baptistae de Rossi cura et labore, qui operis sui Inscriptiones Christianae urbis Romae priore uolumine edidit inscriptiones temporum notis insignes, alterius uoluminis parte priore inscriptiones libris manu scriptis traditas. Has inscriptiones plerumque temporum notis carentes accuratis commentariis historicis instructas iterum, ut ipse saepius promiserat, editurum

abstulit atra dies et funere mersit acerbo.

Nonnihil sane lucrabimur et de Latina infimae aetatis arte poetica et de rebus ecclesiae Christianae primaeuae, si omnes inscriptiones Christianas, atque inprimis carmina epigraphica ad certas aetates referre licebit. Itaque laborem aetates titulorum definiendi obseruationibus subleuare non inutile esse putabam.

Adiuuamur autem in hac re maxime iis inscriptionibus in quibus e more apud Christianos frequenti dies et annus mortis uel *depositionis* indicatus est. Quae ex his titulis praeter indicia cum paganis communia, litterarum formam dico et personarum rerumque rationem, cognoscimus et de signis et de formulis Christianis, ea augentur, si carmina epigraphica et inter se et cum poetarum Christianorum operibus comparantur, cum metricis obseruationibus tum sententiarum uerborumque imitatione peruestigata.

Summi ad titulorum ut paganorum ita Christianorum aetatem definiendam momenti sunt litterarum formae. Atque hac quidem in re singularis quidam ac nouus litteras scribendi atque exornandi usus euenit medio fere saeculo quarto: in quo diligenter discernuntur lineae, ut ita dicam,

adscendentis et descendentis stili, hae largae et profundae, illae tenues et leues scalpuntur, tenues sunt etiam lineae libratae. Praeterea singulorum ductuum fines lineolis curuatis huc illuc tractis exornantur (u. Ihm, mus. Rhen. uol. L p. 196).

Hoc more inprimis insculpta sunt Damasi episcopi carmina epigraphica, quorum exempla praebentur a Rossio *Rom. sott.* I tab. 4, II tab. 2, 3, (8), repetita partim IChr. I n. 329, *Mus. Pio-Lat.* tab. 1, 3, 6, cf. tabulam, quam Ihm Damasi carminum editioni addidit, Huebner, Exempl. scr. epigr. n. 1143.

His ipsis lapidibus docemur etiam, quis fuerit auctor huius calligraphiae; nam *Damasi s*(*ui*)[1]) *pappae cultor atque amato*[*r*] | *Furius Dionysius Filocalus scribsit* habet titulus sexto saeculo litteris uulgaribus nec sine mendis repetitus, unde in archetypo quoque lapide a Damaso dedicato haec fuisse merito concludas (*Rom. sott.* II tab. 3, 4, *Mus. Pio-Lat.* tab. 3). Idem nomen redit in margine lapidis, cuius fragmenta reperta sunt in basilica Martini et Silvestri in Esquilino: *scribsit Furius Dion*[*ysius Filocalus*] cf. Rossi, *Rom. sott.* I p. 120, *Mus. Pio-Lat.* tab. 3, Mommsen in edit. Chronogr. anni CCCLIIII, Mon. Germ. hist., auct. antiquiss. vol. IX p. 16 (antea CIL. I p. 332 ss [ed. alt. p. 254 ss]). Tertio loco redit id nomen initio libelli chronographici supra commemorati a Mommseno editi (p. 39) *Furius Dionysius* | *Filocalus titulauit*; uerbum *titulauit* Mommsen ad primam paginam (*titulum*) diligenter et artificiose pictam refert (p. 13).

Quo ergo in lapide haec scriptura Philocaliana agnoscitur, is quarto saeculo medio uel alteri eius parti adtribuendus est; sin autem non ea ipsa scriptura est, sed tamen eam imitatus esse lapicida uidetur, paulo inferius descendendum est (cf. Ihm, mus. Rhen. L p. 198, ed. Damasi praef. p. X, n. 15*, 16*, 34*, 51*, 58*).

---

1) *s*(*ancti*) Hirschfeld, Monum. G. hist., auct. antiquiss. IX p. 16 adn. 2.

Praeter hanc singularem et quadam uetustatis adfectatione inbutam formam deterioris quoque aeui uestigia in litteratura agnoscuntur, litterae quas uocant unciales; harum quae essent prima exempla conlegit Huebner, Ex. scr. epigr. p. XXXVIII, unde discimus, in Africa inde a saeculo tertio exeunte (CIL. VIII 653, 654, 684 cet.) adhibitas esse huius formae litteras; frequentiores fiunt saeculo quarto (CIL. V 2781 a. **314**. III 448 circa a. **348**. 459 a. **362**. 734—737 c. a. **400**). Christianas urbis Romae inscriptiones saeculi quarti quindecim fere enumerat Huebnerus (uide Rossi, IChr. I n. 50 a. **338**. 55, 57, 58 a. **339** cet.). In Galliae Transalpinae titulis Christianis unciales litterae inueniuntur inde a saeculo quinto (u. Le Blant, *manuel d'épigr. chrét.* p. 42). Gallicis saeculi quinti, sexti, septimi titulis propria est forma litterarum B, E, F, P, Q (uncialis), R, in qua hasta erecta supra et infra fines transuersae eminet (Le Blant, *man.* p. 41).

Addenda sunt hoc loco uocabulorum compendia duo in titulis Christianis posterioris aetatis satis frequentia:

Christi nominis solis litteris *XP* supraque ducta lineola expressi, quibus ultima littera uerbi casus significandi causa addita est, primum inueni exemplum in Damasi carmine *Hic congesta iacent* (Ihm, n. 12, cuius imaginem Rossius praebet *Rom. sott.* II tab. 2, 1, Ihm, tab. n. IV), in quo u. 5 spatio coactus Philocalus *XPI* pro *Christi* insculpsit. In titulis sepulcralibus Romae inde ab a. **401** (IChr. I 497) exstat; in Gallia Cisalpina Augustae Praetoriae a. **406** (CIL. V 6836), in Sicilia Catinae a. **435** (CIL. X 7113); in Gallia Transalpina inuenitur primum in titulo Narbonensi anni **445** (CIL. XII 5336 = Le Bl. n. 617), in Hispania fortasse anno **466** (IHChr. 98), certe anno **485** (n. 46; n. 136 anni **484**: *in nomine XP* rectius fortasse ad monogramma Christi referetur). Rauennae sexto demum saeculo exstat: CIL. XI 266 (inter a. **556** et **569**) et 305 (a. **570**), in Britannia IBChr. n. 100 anno incerto, in Africa *χristianissimis* sculptum est saec. sexto (CIL. VIII 1434). Quod interdum *XR* pro *XP*

scriptum est, ut CIL. XI 266, semel *XPTI* CIL. V 5418, id minus curo.

Sanctus quoque compendiose significatur in titulis Christianis; atque primum quidem uidetur in usu fuisse solam litteram *S* ponere supraducta lineola, quae interdum omittitur. Huius moris exempla conlegi: titulum Romanum factum teste Rossio inter a. **379** et **464** (IChr. I 816) et Puteolanum anni **435** (CIL. X 3298); adde inscriptiones ecclesiarum Rauennatium saec. sexti (CIL. XI 293, 285). Nec multo frequentius est *SANC*, Romae annis **521** et **522** (IChr. I 975, 977), Nolae a. **484** (CIL. X 1344), in Gallia Cisalpina a. **525** (CIL. V 5683), in Hispania saec. septimo (IHChr. n. 165). Multo usitatius est *SC* addita plerumque casus significatione; id inuenitur Romae non ante a. **526** (I. Chr. I 1005), Canusii primum a. **519** (CIL. IX 410), Nolae a. fere **471** (CIL. X 1365), Rauennae a. **494** (CIL. XI 304), in Gallia Cisalpina a. **471** (CIL. V 6741; n. 5455 anno aut **461** aut **482** adtribuendus est), Salonae a. **599** (CIL. III 9527), in Gallia Transalpina a. **445** (CIL. XII 5336, Le Blant n. 617 falso supplet *sci*(*licet*) pro *s*(*an*)*c*(*t*)*i*), a. **455** (CIL. XII 4311 = Le Bl. n. 610) saepius; in Hispania inde ab a. **552** (IHChr. n. 50), in Britannia annis incertis IBChr. 170, 175, 176, 186. Idem compendium adhibetur inde a saec. sexto in inscriptionibus ecclesiarum et Romanarum (Rossi, *Musaici delle chiese*: *arco della basilica di s. Lorenzo*) et Rauennatium (CIL. XI 265, 273, 281, 282, 286, 291, 293, 300).

Permulti tituli Christiani certis temporibus adtribui possunt ratione personarum cum aliarum tum ecclesiasticarum habita:

Constantinum Magnum refert distichum illud

Quod duce te mundus surrexit in astra triumphans
hanc Constantinus Victor tibi condidit aulam.

AL epigr. 300; De cognomine *Victor* confert Rossius (IChr. II p. 346) Euseb. uit. Const. II 19. III 30, 52.

Eiusdem Constantini morbum Christo iuuante sanatum narrat carmen AL epigr. 902.

A Constantina Constantini filia dedicatum est Agneti carmen *Constantina deum uenerans Christoque dicata* cet. (AL epigr. 301).

Theodosium primum ab anno **394** etiam Occidenti imperantem et filium eius Honorium (**395—423**) commemorat carmen de basilica Pauli *Theodosius coepit, perfecit Honorius aulam* cet. (AL epigr. 314). Hic etiam terminus datus est, post quem facta sunt cetera eiusdem basilicae carmina, quae feruntur in syllogis epigraphicis, ut

Hic positus caeli transcendit culmina Paulus,
cui debet totus quod Christo credidit orbis

(IChr. II 104, 40) aliaque; nam primariae basilicae Pauli a Constantino dedicatae (Lib. pontif. in Siluestro § XXI) quidquam ea aetate, qua syllogae epigraphicae confectae sunt, superfuisse uix credi potest. Idem dicendum est de iis epitaphiis, in quibus expressis uerbis basilicae Pauli mentio fit, ut IChr. II 69, 37, 13 *susceptus limine Pauli.*

Romanaeque urbis praefectus Longinianus (AL epigr. 311 a. **403**) est idem, de quo CIL. VI 1188 *muri Romae urbi restaurati . . . curante Longiniano p. u.*; uide de hoc Symmachi epist. VII 93—101, et quae Seeck editor de eo dicit praef. p. CLXXXVIII et p. 347.

Droctulfum, cuius elogium est IChr. II 91, 55, saeculo sexto exeunte mortuum esse docemur a Paulo, hist. Langob. III, 19.

Leutprandus Langobardorum rex, qui commemoratur IChr. II 168, 21, 5 et 169, 23, 4, regnauit ab a. **712** ad a. **744**, cf. Pauli hist. Langob. VI 36 et 58.

Addam alios quosdam qui non tam rebus gestis clari quam a scriptoribus nominati nobis innotuerunt:

Claudia nobilium prolis generosa parentum (AL epigr. 1435) ad basilicam Laurenti sepulta, si uere est eadem, de qua Prudentius P. II 527 s *aedemque Laurenti tuam Vestalis intrat Claudia*, ut putat Rossius (ad IChr. II 92, 58), huius inlustris feminae aetas definita est.

Felix Magnus, cuius coniugem spectat carmen IChr.

II 151, 25, saepius commemoratur ab Apollinare Sidonio epist. II 3. III 4. 7. IV 5. 10. c. IX 4. XXIV 90.

Ad Decoratum Spoletinum, cuius epitaphium est IChr. II 113, 78, exstat Ennodii epistula IV 17.

Boethius philosophus interfectus a. **524** Rusticianam uxorem duxit, ad quam est carmen Andreae oratoris (IChr. II 109, 63), quod Gregorius praesul ultimo uersu deformatum sibi assumpsit (u. Rossii comm. ad l. c.); haec laudari uidetur a Boethio cons. philos. II 3 et 4. Altera eiusdem coniux fuisse traditur Helpis *Siculae regionis alumna* AL epigr. 1432 (cf. Boeth. cons. phil. ed. Peiper praef. p. XXXVI).

Satis multa carmina mentione episcoporum facta certis temporibus addicuntur. Paucos e tanto numero commemoro:

Marcellinus (**296—304**) AL epigr. 656, 2 *iussu p(a)p(ae) sui Marcellini.*

Damasum se ipsum persaepe in carminibus nominantem uide in Ihmii editione n. 4, 11, 12 saepius.

Liberium lector mox et leuita secutus
post Damasum, clarus totos quos uixit in annos,
fonte sacro magnus meruit sedere sacerdos. —
ter quinos populum rexit in annos amore

(IChr. II 102, 30, 1—3. 9) est de Siricio, qui sedit ab a. **385** ad a. **398** (Damasus decessit a. **384**, Lib. pontif. in Damaso § V *sepultus est III id. Decembres — et cessauit episcopatus dies XXXI*; nihilominus annus 384 Siricio inputatur); idem nominatur AL epigr. 905, 1.

Leo I. (a. **440—461**) commemoratur AL epigr. 314, 690, fortasse etiam 913.

Huius pontificis aetati licet addere etiam Tigrini diaconi epitaphium IChr. II 107, 55, AL epigr. 1354; nam, ut Rossius in comm. ad l. c. dicit, repertus est 'titulus basilicae S. Stephani Demetriadis uirginis uoto et opibus iussu Leonis I pontificis aedificatae curante Tigrino presbytero', quibuscum conferatur ipsius epitaphii u. 7 s:

quippe ego caelestis captus dulcedine regni
diuersis reparo tecta sacrata locis.

Alterum quoque carmen aetati Leonis primi uel paulo recentiori adtribui potest: Legitur enim IChr. II 55, 10, ut emendauit Rossius: *Marinianus uir inl. ex pf.* [*praet.*] *et cons. ord.* (a. **423**) *cum A*(*na*)*stasia inl. fe*[*m. eius*] *debita uota beatissimo Petro apostolo persoluit, qu*(*a*)*e precibus pap*(*a*)*e Leonis* [*m*]*ei* [*pro*]*uocata sunt atq*(*ue*) *perfecta.* In eadem autem Petri basilica fuit carmen, quod incipit a uerbis *Gallus Anastasiae natus decus addidit aulae* (IChr. II 148, 15); itaque si eandem Anastasiam utroque loco respici recte suspicor, carminis aetas altera fere quinti saeculi parte definienda est.

Siluerii pontificis (a. **536—540**) nomen exstat in carmine IChr. II 130, 15, 11, quod carmen patri eius positum narrat de hoc (u. 5—10):

sanasti patriae laceratum scismate corpus
 restituens propriis membra reuulsa locis;
imperio deuicta pio tibi Graecia cessit
 amissam gaudens se reparasse fidem.
Africa laetatur multos captiua per annos
 pontifices precibus promeruisse tuis.

Quae omnia rectissime Rossius refert ad Hormisdam pontificem, Siluerii patrem (Lib. pontif. in Siluerio § I, in Hormisda §§ II—VI, 9).

Pelagii 'iunioris', i. alterius, qui sedit annis **578—590**, nomen est IChr. II 21, 11a; itaque etiam carmen, quod in altera parte eiusdem ambonis legebatur, eiusdem episcopi aetati adtribuitur probabiliter, u. AL epigr. 918.

Honorius I (**626—638**) quem posuit *successor* (u. 17) titulum, non esse Bonifatio V positum sed alteri eius antecessori Deusdedit Rossius ad l. c. demonstrat, cf.

Cur titulata diu torpuerunt iura sepulchri (u. 1)
culmen apostolicum coluit tres ferme per annos (u. 15);

sedit autem Deusdedit a. **615—618**, Bonifatius V **619—625**. Praeterea Honorium referunt IChr. II 53, 3. 4. 62, 5. 81, 18. 89, 42 (62, 5 et 89, 42 de s. Agnetis ecclesia, itaque probabiliter etiam 63, 6 = 89, 44) 156, 5; epitaphium eius est 127 s, 8.

Ignotus adhuc est Leo episcopus, cuius epitaphium

habemus AL epigr. 761; item nescimus, quisnam sit ille *Gregorius praesul* (IChr. II 109, 63, 24), qui sibi adsumpserit *carmen Andreae oratoris ad Rusticianam* (de quo u. Rossium ad l. c.).

Achilles Spoletinus episcopus basilicam Petri saeculo quinto ineunte (c. a. **402—418**) carminibus instruxit; nominatur IChr. II 113, 79, 1 et 114, 81 (= 80, 11), 5, ad eum referenda sunt etiam carmina IChr. II 114, 80 et 82 (= p. 80, 10 et 12).

Qui successit in locum eius Spes Spoleti episcopus fuit ab a. **420** ad a. **452**; quem uide IChr. II p. 43 s § 9, *Bull. crist.* 1878 p. 153 ss, ann. societ. antiquar. Rhen. 1868 p. 86 ss.

Ambrosius Mediolaniensis, mortuus a. **397**, nominatur in carminibus AL epigr. 906, 1. 1421, 2 et in lemmatibus carminum 908 et 1434, postremo quidem loco falso, ut lapis superstes euincit (cf. Rossi IChr. II 162, 4).

Eusebius Mediolaniensis (**451—462**) est in carmine AL epigr. 914.

Martinus Turonensis, qui decessit inter a. **396** et **400**, si recte agnoscitur in carmine AL epigr. 1445, ubi u. 3 legitur *Martini quondam proceris sub dextera tinta* (i. e. baptizata), hoc carmen medio fere saeculo quinto adtribuendum uidetur esse.

Pretiosissima sunt quae ad res ea aetate qua tituli confecti sunt gestas spectant.

Gothorum mentio fit IChr. II 83, 25, 2: *cum premeret uallo moenia septa Gethes*; 84, 29, 3 s: *effera quom rabies neglecto iure sepulchri sanctorum in tumulos, praeda furentis erat* (Buecheler ad Ihm, Dam. n. 87, 3); ib. u. 7: *gens saeua*; 89, 44, 2: *quod gens infelix uertere non timuit*; AL epigr. 917, 1: *Dum peritura Gethae posuissent castra sub urbe.* Similiter ad Gothorum bellum referenda sunt uerba:

sit precor acceptum quod post dispendia belli
in melius Florus restituit famulus

IChr. II 104, 38, 7 s correcta a Rossio; de eodem Liberale

martyre, de quo hoc, aliud est carmen IChr. II 101, 23 (AL epigr. 904) item a Floro (cod. *floris*) oblatum; itaque hoc quoque eidem aetati adtribuendum est.

Denique de Dionysio leuita AL epigr. 1414, 16 ss dicitur:

quem potuit uictor hostis amare suus.
postquam Romana captus discessit ab urbe,
mox sibi iam dominus subdidit arte Gethas.

Eodem autem loco exscriptum uidetur esse carmen Rhodinae AL epigr. 1431, quam Dionysii coniugem fuisse u. 13 s docent. Quod carmen hac de causa medio saeculo quinto uix recentius est.

De rebus ecclesiasticis iam supra (p. 7) nonnulla monuimus, ubi de Hormisda episcopo dictum est. Porro inprimis digna memoratu uidetur esse *Nicaena fides* AL epigr. 787, 31, quam ignotus quidam *sacerdos sedis Christi splendore serenae* (u. 24 s) *in synodo* defendens *cunctos sacrilegos superauit*; Rossius qui et in comm. ad IChr. II 86, 31a et in *Bull. crist.* 1883 p. 5 ss, 1890 p. 123 ss, 1894 p. 92 s de hoc carmine egit, hunc sacerdotem Liberium papam esse uult *catholicam fidem* defendentem. Haec sane bene quadrant in Liberium, melius quam quae de aliis alii episcopis protulerant; sed uersui 36 *haec fuit haec semper mentis constantia firma* minime respondet, quod Liberius exul, ut ait Sozomenus (IV 15) τὸ ὁ μ ο ο ύ σ ι ο ν ἀπεδοκίμασε καὶ ἀνόμοιον τῷ πατρὶ τὸν υἱὸν δοξάζει. Pergit autem Soz. ἐπεὶ δὲ ταῦτα ὧδε κατώρθωτο τοῖς ἐκ τῆς δύσεως πρέσβεσιν, ἀπέδωκεν ὁ βασιλεὺς Λιβερίῳ τὴν ἐπὶ Ῥώμην ἐπάνοδον. Itaque ne illud quidem (u. 42) *insuper exilio decedis martyr ad astra* recte de Liberio dici potuit; qua in re Liber pontif. (in Liberio § VIII) plane cum Sozomeno facit. Quam dissensionem ut leuaret, Rossius post *exilio* lacunam statuendam esse censuit. Equidem personam de qua cogitauit Rossius accipiam, dissensionis remedium non accipiam; puto enim adhuc non repertum esse ad quem cetera atque inprimis *Nicaena fides* melius referrentur quam ad Liberium. Quae autem

obstare monui, haec mihi inde explicanda uidentur esse, quod carmen post mortem Liberii intermisso haud paruo spatio fortasse compositum est, cum certa ipsarum rerum memoria amissa laudes Liberii *martyris* (u. 42) quoquo modo augere libuit. Aetatem initio saeculi quinti uix anteriorem sapiunt quaedam uerba huius carminis; uide quae infra dicturus sum de uerbis apostolicus, catholicus, electus, niueus, turba.

Synodus Ephesina anni **431** in Xysti III carmine his uerbis memoratur *postquam Ephesi Christus uicit utrique polo* AL epigr. 912, 8. Inde ab hac synodo Mariae Θεοτόκου cultum auctum esse nolui hoc loco praeterire; cf. e. g. *Virgo Maria tibi Xystus noua templa dicaui* (IChr. II 71, 42, 1) et carmen 'Andreae oratoris de Maria uirgine ad Rusticianam' *Virgo parens hac luce deumque uirumque creauit* cet. (IChr. II 109 s, 63).

E Mareae presbyteri titulo AL epigr. 1382 quem a. **555** depositum esse Rossius e fragmentis lapidis Romae repertis in *Bull. crist.* 1869 p. 17—21 euincit, discimus illa quoque aetate de 'charactere indelebili' sacramenti ordinis disputatum esse, quem post Optatium Mileuitanum (corp. scr. eccl. Lat. Vindob. XXVI p. 175, 22—26) Augustinus inprimis contenderat; cf. de bapt. c. Donat. I 1, 2: 'sicut baptizatus, si ab unitate recesserit, sacramentum baptismi non amittit, sic etiam ordinatus, si ab unitate recesserit, sacramentum dandi baptismi non amittit' (opp. ed. Bened. IX p. 80 A). Dicitur enim in illo carmine de Marea u. 5 s

Tuque sacerdotes docuisti crismate sancto
tangere bis nullum iudice posse deo.

Singularem neque eis quae hucusque tractaui similem expositionem poscere uidetur carmen *in basilicam beati Laurentii martyr(is)* (IChr. II 151, 24), quod totum huc transferam:

Non mirum est, fallax nimium quod flamma minatur
martyris et corpus nil nocitura cremat.
namque docet fidei magnam sine uindice poena

ad caelum mediis ignibus esse uiam.
hunc etenim fruitur martyr Laurentius ignem
et meritis summis ne moriatur agit.

Quo in carmine, quod equidem ut Rossius (ad. l. c.) Laurentii ignem patientis picturae adscriptum fuisse puto, si recte interpretor dici *martyris corpori flammam non nocere*, i. corpus a flammis integrum ac ne minimum quidem laesum pictum esse: hanc imaginem atque hoc carmen post Prudentii aetatem confectum esse ueri simillimum est. Prudentius enim qui Laurentii basilicam adisse uidetur, martyrium Laurentii enarrans (P. II) corpus eius a flammis adustum esse dicit; audi ipsius uerba (uu. 397—408):

Postquam uapor diutinus
decoxit exustum latus,
ultro e catasta iudicem
conpellat adfatu breui:
'Conuerte partem corporis
satis crematam iugiter,
et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.'
Praefectus inuerti iubet.
tunc ille: 'coctum est, deuora
et experimentum cape,
sit crudum an assum suauius.'

Quae uerba Prudentium dicere potuisse, si in imagine, quae martyrium Laurentii in ipsius clarissima basilica repraesentabat, aliter relatum erat, plane negandum est.

Iam uenimus ad alteram partem, in qua quid e christianis et titulis et poetis ad aetatem definiendam discamus exponatur.

Supra dixi moris fuisse apud Christianos notare in titulis diem et annum mortis uel depositionis; annus quidem plerumque consulibus indicatur, sed inde a saeculo quinto indictionum quoque anni adnotantur. Qui si praeter consules adduntur, non est quod uituperemus; ubi autem consules omittuntur, nisi alia succurrunt, certos annos inuenire non licet. Attamen his quoque, sicut illis, in quibus consulum nomina mutilatis lapidibus perierunt,

indictionis tamen uestigia supersunt, aliqua ex parte aetatis fines statui possunt.

Primus titulus Christianus Latinus consules simul et indictionis notam exhibet Aquileiensis anni **423** (CIL. V 1623); sed cum hunc titulum, in quo est *kal. Decemb. . . . ind. VII* praecedat in eodem lapide alter solam indictionem XI referens, hunc anno **413** (mens. April.) adtribuere debemus. Praeter hunc Aquileiensem in Gallia Cisalpina sex saeculi quinti titulos inueni, quibus indictio addita est (CIL. V 5414 a. **453**, 5429 a. **457**, 5685 a. **466**, 5241 a. **484** (?), 5423 a. **486**, 7531 a. **491**). In Aemilia Etruriaque primus titulus indictione significatus est Graecus anni **424** (Florentinus CIL. XI 1690), quem sequitur proximus a. **523** (n. 308). Salonis exstant tituli saeculi quinti Latini indictionibus insigniti duo a. **437** et a. **442** (CIL. III 9518, 9520; n. 9522 est Graecus anni **460**). In Gallia Transalpina primum exemplum est anni **487** (CIL. XII 2702 = Le Bl. 481 A). Sexto demum saeculo Romae obuiam fiunt exempla indictionis titulis additae, anno **517** (IChr. I 965 a Rossio coniectura restitutum; sequitur n. 1168 a. **518**). In Italia inferiore prima exempla sunt a. **528** (CIL. X 178) et a. **530** (CIL. IX 411); in Hispania unum certum exemplum exstat anni **589** uel **590** (IHChr. n. 176); in Africa et in Britannia quae inuenta sunt exempla, certis annis adtribui non possunt.

Plura de ipsa temporum indicatione hoc loco referre post egregia Rossii 'prolegomena' (IChr. I praef. p. I—CI) supersedeo. Nec magis hoc loco mihi dicendum esse puto de duplici titulorum Christianorum stilo, aut de primaeui stili simplicitate; de his iterum inspiciendus est Rossius (IChr. I praef. p. CI—CXIV); sed eos praecipue titulos me mihi proposuisse moneo, qui inde a saeculo quarto confecti essent.

Quibus e titulis de signis ritus Christiani et de formulis haec discimus:

Piscis signum in titulis certas temporum notas exhibentibus admodum raro inuenitur; cuius rei causa est,

quod illa aetate, qua Christianorum mos ut annos adnotarent increbruit, sc. aetate Constantiniana, piscis symboli usus obsoletus atque desuetus erat. Copiose De Christianis monumentis ΙΧΘΥΝ exhibentibus egit De Rossi in Pitrae Spicilegii Solesmensis uol. III (1855) p. 545—484, ubi etiam inscriptiones hoc signo praeditas inde a p. 573 enumerat; qui post Rossium *piscem* tractauerunt, hos recensuit qui nuperrime de eo egit Carolus Roenneke in *Kirchl. Monatsschrift* 1895 p. 667—683.

Inuenitur piscis saepius in titulis sepulcralibus coemeteriorum subterraneorum Romanorum saeculo quarto fere anterioribus (u. ex. g. *Mus. Pio-Lat.* tab. XIV 11, 16, 17, 19, 20, 22, XX 16); adhibitum esse eum etiam medio saeculo quarto iis titulis comprobatur, in quibus piscis una cum monogrammate Christi obliquo exstat (Rossi, Spicil. p. 552 s). Certis annis obseruatur piscis Romae anno **234** (IChr. I 6) et **400** (n. 489) (Rossi, Spicil. Sol. p. 549, 553, 575 n. 50, 574 n. 27), in Africa a. **457** (CIL. VIII 9693), in Gallia Cisalpina a. **474** (CIL. V 7978) et fortasse in alio titulo saeculi quinti (n. 6267). Titulos Galliae Transalpinae piscis imagine insignitos Rossius non recte tractasse uidetur; in altero enim, Nicaensi anni **474** (Le Bl. n. 631) dubitat, num re uera Joffredus piscis imaginem uiderit (p. 554), alterum, Treuerensem (Le Bl. n. 261. c. tab. n. 163), saeculo quarto adtribuit (p. 578 n. 108), ad quod Germanicum nomen (*Hlodericus*) minime quadrat, quippe quod genus nominum non ante medium saeculum quintum in titulis Christianis obseruetur; Le Blant eum titulum saeculo VI uel VII adtribuit. In Hispania exstat a. **585** (IHChr. 43).

In ecclesiis Christianis piscem uel sexto saeculo pictum esse Rossius (p. 547) exemplis adlatis comprobat.

Litterae ΙΧΘΥΣ, tamquam acrostichon uerborum Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱὸς Σωτήρ, scriptae sunt e. c. in titulo sepulcrali saeculi fere tertii, quem dat Rossius Spicil. Sol. III p. 544 II, p. 573 n. 7. IChr. II p. IX. *Mus. Pio-Lat.* tab. VIII 13. In Gallia Transalpina ab his litteris

primi uersus carminis Graeci Augustodunensis incipiunt (Le Bl. n. 4 c. tab. n. 1), quod Le Blant saeculo tertio uel quarto, Rossius tertio adtribuit (Spicil. p. 554).

In ecclesia Rauennati s. Apollinaris medii saeculi sexti eadem uox ΙΧΘΥΣ conspicitur (CIL. XI 2931, De Rossi, Spicil. p. 547).

Ancorae signum (cf. ep. ad Ebr. VI 19) aeque ac piscis, cum quo frequenter in lapidibus coniunctum exstat (u. Rossi, Spicil. p. 561, 573 s, *Mus. Pio-Lat.* tab. XIV 19, XX 16), inter antiquissima Christianae ecclesiae signa recensendum est; inuenitur Romae in titulo anni **234** (IChr. I 6, u. *Mus. Pio-Lat.* tab. XIV, XVI, XX); fortasse ancora etiam in titulo coemeterii Aquileiensis est saeculi quarti ut uidetur exeuntis (CIL. V 8603).

Delphini adpicti sunt titulo Romano a. **353** (IChr. I 118), Salonitano a. **360** (CIL. III 9504).

Pauonem immortalitatis signum, quippe cuius carnem non putescere crediderint (Aug. ciu. dei XXI 4), titulis Christianis adpictum inueni Romae inter annos **566** et **578** (IChr. I 1123), in Gallia Transalpina in lapide anni **491** uel **526** (CIL. XII 2073 = Le Bl. n. 689). In lapidibus pauo saepe non clare a columba distingui potest; certum eius atque optime factum exemplum uide *Mus. Pio-Lat.* tab. XV 15 et Le Bl. n. 326 c. tab. n. 214.

Columbam in scriptura sacra duplici modo commemorari non est qui nesciat: interdum est imago spiritus sancti (cf. eu. Matth. III 16. eu. Joan. I 32), uelut in abside s. Pudentianae et in mausoleo Constantiae, quae monumenta Rossius (*Musaici*) saeculo quarto adtribuit; de hac ego cogitaui etiam in titulo IChr. I 354 (a. **385**), ubi Rossius interpretatus est 'phoenicem nimbo caput redimitam'.

Multo frequentius autem adhibetur columba pacis signum, saepe cum oliua picta (cf. Genes. VIII 11). Huius usus exempla inueni: Romae ab anno **311** (uel **319**? IChr. I 32) ad a. fere **530** (n. 1038 inter a. **530** et **533**), in Italia inferiore anno **463** uel **480** uel **511** (CIL. IX 5347), in Gallia Cisalpina ab a. **435** (CIL. V 6272) ad a. **479**

(n. 6730), in Gallia Transalpina ab a. **378** (Le Bl. n. 7, cf. uol. I p. 20) usque ad annum **612** (n. 561), in Hispania ab ineunte sexto ad iniens septimum saeculum (IHChr. n. 35 a. fere **518**, n. 102 et 103 a. fere **612**), in Africa semel in lapide temporis notam ualde quidem dubiam exhibente CIL. VIII 9271 inter annos **449—488** uel inter **529—538** (lapis: *ann. prouinc. CCCCX* . . ., supplendus numerus inter *CCCCX* et *CCCCXLIX* uel inter *CCCCXC* et *CCCCXCIX*).

Agnus dei, de cuius signi ui docemur eu. Ioan. I 29, quem locum habes repetitum simul cum agni imagine CIL. III 9628, in titulis sepulcralibus raro inuenitur: Romae annis **273**, **353**, **406**, **408** (IChr. I 12, 118, 558, 583) cf. CIL. IX 5566, Le Bl. n. 64, 295 (c. tab. n. 39, 188)[1]). Inde a saeculo quarto et quinto in ecclesiis pingitur, uide apud Rossium (*Musaici*): mausoleum Constantiae, absidem capellae Rufinae et Secundae in baptisterio Ioannis Lateranensi, oratorium eiusdem baptisterii; similiter est in inscr. Africana CIL. VIII 9271 (inter **449—488**, **529—538**, u. supra) et in ecclesia Rauennati facta a. fere **549** (CIL. XI 293).

Palma uictoriae signum ethnicis quoque titulis haud inusitatum ab hominibus Christianis monumentis sepulcralibus insculpebatur, quo mors uicta esse significaretur (cf. e. c. Apoc. VII 9). Inuenitur Romae palma inde ab ineunte saeculo quarto IChr. I p. CXV c. a. **300**, ibid. n. 28 a. **302**, usque ad annum fere **530** (n. 1026 a. **530**, n. 1038 inter **530** et **533**), in Etruria a. **359** (CIL. XI 3054) et a. **547** (n. 1693), in Gallia Cisalpina ab anno **453** (CIL. V 5414) ad a. **556** (n. 5418), in Gallia Transalpina ab a. **444** (CIL. XII 5335 = Le Bl. 618) ad a. **582** (CIL. XII 4312 = Le Bl. 611), in Hispania inter annos **641** et **652** et a. **642** (IHChr. 24, 123), in Africa ab a. **430**

---

1) Hoc quidem loco Le Blant (I p. 402) equos agnoscit; sed agnos equis non ualde dissimiles exhibent tabulae operis a Rossio editi *Musaici* cet.

(CIL. VIII 9871) ad a. ut uidetur **583** (n. 9870). Cetera exempla, ut Sardiniensia CIL. X 7769, 7988 et Salonitanum CIL. III 9546, certis temporum notis carent.

Vitis, de qua uide eu. Joan. XV, 1—8, cum uuis adpicta est Romae a. **398** (IChr. I 463), in Gallia Transalpina bis annis incertis (Le Bl. n. 291, 621 C. c. tab. 190, 510); *uuae* solae exstant in titulo Capuano anni **569** (CIL. X 4514). Pictae sunt uuae etiam in mausoleo Constantiae saeculo quarto.

Vrna num sit in titulo Romano anni **268** uel **279** (IChr. I 10) fortasse dubitandum est; certo adest in titulo anni **372** (n. 233), deinde saepius redit usque ad a. **447** uel **448** (IChr. I 741; n. 845 est anni **439** aut **472**). In Gallia Transalpina est in titulo medii fere saeculi quinti (Le Blantio teste, Le Bl. n. 515), deinde in titulo anni **488** (Le Bl. n. 374 A); postremum exemplum est anni **570** uel **571** (CIL. XII 2092 = Le Bl. n. 432 B).

Monogrammatis Christi quod uocant in titulis Christianis Romanis prima forma est obliqua, sequitur triginta fere annis post rectangula. Alteram formam describit Euseb. uit. Const. I c. 31, alteram ut uidetur Lactant. de mort. pers. XLIV 3 (*transuersa X littera, summo capite circumflexo*); Eusebium formam P fuisse in labaro, Lactantium formam P in scutis militum tradere monet Roenneke, *Roms christl. Katakomben* p. 68 adn. 15. Vtraque forma adhibetur primum sine A Ω et tempore aliquo intermisso additis litteris A et Ω (de his litteris cf. Apoc. I 8). Inuenitur enim:

Romae: P ab anno **323** (*Bull. crist.* 1863 p. 22) — omitto illud exemplum quod dubitanter Rossius adtribuit anno **298** (IChr. I 26) — ad finem fere saeculi quinti (IChr. I 937 est anni **484** uel **507** uel **508**); saeculi quarti quinquaginta fere exempla sunt, quinti tria; APΩ ab a. **355** (n. 127, coniectura suppletum; certum est a. **360** n. 143) ad a. **408** (n. 589) plus uiciens, prae-

terea in titulo facto inter a. **365** et **455** (n. 776); ☧ primum obuenit Romae a. **355** (n. 125), omnino in saeculo quarto septiens, in quinto quater, in sexto bis; postremum exemplum est anni **530** (n. 1026); A☧Ω inuenitur ab a. **371** (n. 225) ad a. **431** (n. 666); huc referendae uidentur esse etiam illae formae inperfectae ATΩ et A+Ω annorum **370** et **375** (n. 218, 249), quoniam crucis signum plus triginta annis post primum apparet (u. infra). Solae litterae A Ω exstant a. **364** (n. 172).

In Italiae ad septentrionem uergentis titulis sepulcralibus ☧ inuenitur annis **359** et **401** (CIL. XI 3054, 2872); A☧Ω inter annos **394—402** (n. 802); A☧Ω ab a. **423** ad a. **570** (n. 1731, 941).

In Italia inferiore et insulis exstat ☧ annis **357**, **371**, **376**, **551** (CIL. X 1191, 4488, 4489, 101); A☧Ω annis **392**, **397**, **399**, **508** (CIL. X 5646, 4493, 4493a, IX 1378); ☧ annis **400**, **440**, **450**, **494**, **559** (CIL. IX 1363, 1367, 1370, 1377, X 5328); A☧Ω anno **489** (CIL. X 4494).

In Gallia Cisalpina inuenitur ☧ ab a. **387** uel **388** ad a. **490** (CIL. V 6243, 7742); A☧Ω a. **423** (CIL. V 6397, exstat solum Ω post lacunam) et saeculo septimo ineunte (n. 7136); ☧ ab a. **382** (n. 1620, ubi non plane certum est) uel ab a. **382** (n. 1620, ubi non plane certum est) uel ab a. **402** (n. 6224) ad a. **520** (n. 7412) et item atque praecedens ineunte saeculo septimo (n. 7136); A☧Ω annis **432**, **467**, **575** (n. 7530, 6210, 6401).

In Galliae Transalpinae titulis sepulcralibus signi ☧ exempla exstant ab a. **347** ad a. **492** uel **517** (Le Bl. n. 596, CIL. XII 590 = Le Bl. n. 623) A☧Ω ab a. **405** ad a. **493** (Le Bl. 591, 77); ☧ ab a. **431** ad a. **552** (Le Bl. n. 44, 667 A); A☧Ω a. **540**, ut putat Le Blant (n. 55 c. add.).

In Hispanicis titulis sepulcralibus ☧ est annis **518**(?) **585** (IHChr. n. 35, 43); A☧Ω ab a. **482** (n. 42; n. 78: *aera D*.. est anni parum certi) ad a. **666** (n. 18); ☧ post annum **562** (n. 121); A☧Ω ab anno ut uidetur **466** ad a. **662** (n. 98, 99); solum A Ω anno **504** (n. 92).

Salonis unum exemplum huius monogrammatis quod ad annum certum referri possit compositum ex utraque forma hunc in modum ☧ (in corona) CIL. III 9504 a. **360**.

In Africa ☧ inuenitur a. **415** (CIL. VIII 8649, ubi litterae A Ω separatae sunt) et a. ut uidetur **527** (n. 8637); A☧Ω anno **406** (n. 9715); ☧ inter annos **449—488**, **529—538** (n. 9866), a. **536** (n. 9869); A☧Ω a. **510**, **525** uel **526** et temporibus Iustiniani (n. 11649, 10516, 4799); Ω☧A anno **419** (n. 8641). Solae litterae A Ω inueniuntur a. **405** (n. 8638, 8639) et a. **415** (8649, ubi ☧ sepositum est).

Britannicorum epitaphiorum quae exstant exempla monogrammate Christi insignita certis temporum notis carent.

In ecclesiis aliisue aedificiis publicis pictum est monogramma Christi primum: ☧ Romae s a e c. q u a r t o in mausoleo Constantiae (Rossi, *Musaici*), Rauennae s a e c. s e x t o (inter **569—575**, CIL. XI 265); in Britannia a. **685** (IBChr. 198); A☧Ω: primum exemplum est Sedunense anni **377**, quod faciendum curauit praeses prouinciae (CIL. XII 138 = Le Bl. 369); Romae exstat in arcu basilicae s. Mariae maioris s a e c. q u i n t i (Xysti episcopi, uide Rossi, *Musaici*). Rauennae est 'in sacrario quod dicitur s. Petri Chrysologi' Ω☧A et A☧Ω CIL. XI 261. Forma ☧ est in Hispania a. **573** (IHChr. n. 76), in Africa inter annos **578—582** (CIL. VIII 4354), in Gallia Transalpina a. fere **676** (Le Bl. n. 91). Forma A☧Ω Romae adhibita est a. **390** in arcu s. Placidiae (Rossi, *Musaici*, in comm. ad hunc arcum f. 2). Eadem forma reperta est in Africa in inscriptione ecclesiae Thibursicensis inter a. **565** et **578** facta (CIL. VIII 1434).

Crucis signum inuenitur in titulis sepulcralibus Romanis inde ab anno **407** (IChr. I 576, n. 249 a. **375** ubi est A+Ω rectius ni fallor signo A☧Ω contribuitur) ad annum **589** (n. 1126); initio primi uersus epitaphiorum apparet inde ab a. **450** (n. 748); A+Ω praeter n. 249 (a. **375**, de quo supra) exhibet titulus Romanus anni **509** (n. 941).

In Italia inferiore et insulis + obseruatur inde ab a. **444** (CIL. IX 1368, ubi signum crucis initio primi uersus positum est) per totum saeculum sextum satis frequenter.

In Italiae septentrionalis titulis primum exstat + anno **493** (CIL. XI 2585), initio primi uersus inde ab a. **494** (n. 304).

Tituli Galliae Cisalpinae + exhibent inde ab a. **415** (CIL. V 6398), initio primi uersus ab a. **528** uel **529** (n. 6418, neque enim n. 5455 a. **461** uel **482** huc referendus est).

In Galliae Transalpinae titulis sepuleralibus reperitur primum anno **448** (Le Bl. n. 68), initio primi uersus praescriptum est ab a. **455**[1]) (CIL. XII 4311 = Le Bl. n. 610); A+A (sic) exstat in titulo anni ut uidetur **547** (CIL. XII 2185 = Le Bl. n. 467).

In Hispania + primum inuenitur initio primi uersus positum a. **482** (IHChr. 42; A+Ω satis frequens ibi est ab a. **578** (n. 91).

Salonis exstant exempla annorum **443** et **599** (CIL. III 2659, 9527).

Africanorum titulorum signum + exhibentium primus est anni **440** (CIL. VIII 8634).

Inter Britannicas inscriptiones unum exemplum certo anno adtributum est (IBChr. n. 168 a. **685** uel **686**).

In ecclesiis aliisque inscriptionibus publicis signum + pictum Constantinopoli iam in inscriptione Graeca anni **382** uel **383** exstat (CIL. III 734); Romae adhibetur inde a saeculo quinto, ut in oratorio Joannis euangelistae in baptisterio Lateranensi (cf. Rossi, *Musaici*); deinde saepius. Rauennae deest in ecclesia uota a Galla Placidia mortua a. **450** (CIL. XI 274—277), exstat autem in ecclesia paulo post facta a Neone episcopo defuncto anno ut uidetur **458** (CIL. XI 257). Dubito num huc referendus sit clipeus argenteus (CIL. XI 2637)

---

1) Minus recte Le Blant (*inscr. chrét.*. I praef. p. XIV = *manuel* p. 29), quem sequitur Hirschfeld CIL. XII 338 primum exemplum esse anni **503** contendit.

factus a. **434**. Galliae Transalpinae exemplorum omnino antiquissimum est anni **445** (CIL. XII 5336 = Le Bl. 617) praescriptum primo uersui tituli publici. In Hispaniae inscriptionibus publicis initio primi uersus adpictum est primum a. **642** (IHChr. 80); A+Ω in inscriptione publica a. **627** (n. 119). In Africa initiis inscriptionum publicarum adponitur inde a Iustiniani aetate (CIL. VIII 4677, 5353).

Proximus locus est formularum, quibus mors, depositio aliaque huius generis in titulis sepulcralibus commemorantur:

Simplex uerbum *cessit* semel inueni finibus Italiae in ualle Sassina a. **425** (CIL. V 5206: praecedit *uixit in seculo*).

Decessit Romae exstat ab a. **291** (IChr. I n. 18 dubium est, melius n. 21 a. **296**) ad medium fere saeculum quintum (n. 679 a. **433**; n. 816 inter a. **379** et **464** dubium), *d. in pace* a. **344**, **409** (n. 78, 594), *d. de seculum* a. **367** (n. 193); Canusii *d. in pace* a. **519** (CIL. IX 410); Syracusis a. **356** (CIL. X 7167); Augustoduni *decessit* a. **378** (Le Bl. n. 7); in Africa a. **577** (CIL. VIII 9746).

Discessit Romae semel inuenitur a. **381** (IChr. I n. 306), Mediolanii a. **403** (CIL. V 6196); in Africa *discessit* exstat plus centiens in titulis quarti, quinti, sexti, septimi saeculi quorum primus est CIL. VIII 9862 a. **302**, ultimus n. 9935 a. **651**, plerumque litteris DMS insignitis, qui utrum ethnici an Christiani sint, licet dubitare; est enim in omnibus fere *fecit domum aeternalem*, nec differunt a stilo titulorum euidenter Christianorum eiusdem regionis. Christianum certo est *d. in pace*, quod inuenitur ab a. **418** ad a. ut uidetur **583** (n. 9804, 9870).

Praecessit ad pacem Romae apparet a. **385** (IChr. I 355), Sutrii semel exstat *praeces[sit* . . . a. **369** (CIL. XI 3278); in Africa saepius est *praecessit* (*nos*) *in pace* (*dominica*) ab a. **345** ad a. **475** (CIL. VIII 9793, 9709).

Recessit[1] in titulis Romanis est ab a. **235** (IChr. I n. 7: *de saeculo r.*) ad medium fere saeculum quintum (n. 754 a. **452**, n. 769 inter a. **329** et **455**; n. 816 inter a. **379** et **466** dubium); *de saeculo r.* a. **235**, **403** (n. 7, 521), *in pace r.* a. **364** (n. 177), *r. . . in somno pacis* a. **407** (n. 578), *r. de hac luce* a. **397** (n. 443, etiam anno **427**? n. 657); in Italia inferiore a. **376**, **385** (CIL. IX 5284, 5300), *r. in pace* a. **391** (CIL. X 37); in Italia septentrionali solum *recessit* inuenitur in titulo anni **488** uel **511** uel **523** et anno **570** (CIL. XI 1142, 941), *r. in pace* anno **423** et anno **487** uel **510** uel **522** (n. 1731, 1019); in Gallia Cisalpina ab a. **432** (CIL. V 7530; an a. **423**? cf. n. 6397) ad a. **545** (n. 6813); in Gallia Transalpina ab a. **347** ad a. ut uidetur **509** (Le Bl. n. 596; CIL. XII 1498); in Hispania *r. in pace* a saeculo quinto ad septimum inuenitur (IHChr. n. 98, a. ut uidetur **466**, n. 131 a. **485**, n. 99 a. **662**); in Africanis titulis *recessit* est anno **440** et a. **484** uel **513** (CIL. VIII 8634, 2013), *r. in pace* a. **557** (n. 5262). Huc referam etiam Salonitanum titulum anni **437** (CIL. III 9518), ubi exstat . . .]*sit*, n. 9543 uero *recessit*.

Defunctus Romae apparet ab a. **300** ad a. **522** (IChr. I n. 1127, 980; n. 1053 est inter a. **498** et **536**), *d. in pace* a. **430** uel **435** (n. 692); Canusii a. **393** (CIL. IX 6192); Potentiae a. **528** (CIL. X 178); in lapide coemeterii Mustiolae (prope Clusium) anni **354** uel **365** uel **376** (CIL. XI 2551, IChr. I p. 326); in Lugdunensi titulo anni **493** (Le Bl. n. 77).

Dormit primum apparet Romae a. **249** (IChr. I n. 9), *d. in pace* primum a. **329** (n. 36), *hic d. . . in somnio pacis* a. **397** (n. 442); saeculi quinti duo exempla sunt: *d. in pace* a. **449** uel **494** (n. 910) et . . .]*miuit et req*[. . inter a. **458** et **473** (n. 854, ubi tamen equidem legerim [*obdor*]*miuit et req*[*uiescit* u. infra); Capenae

1) *r.* in titulo ethnico anni **385** uide *Bull. del Inst.* 1884 p. 56 = Eph. epigr. VIII p. 159, 648.

dormit exstat annis **339** et **344** (CIL. XI 4028, 4030; 4031 = IChr. I n. 55, 75, 76); in Africa *d. in pace* (*'baci'*) anno **429** (CIL. VIII 11129); in Gallia Cisalpina *dormet* anno incerto (CIL. V 5215).

Obdormiuit bis tantum e titulis certi temporis cognoui, Romano supra commemorato, qui factus est inter annos **458** uel **473** (IChr. I n. 854) et Hispaniensi anni **588** (IHChr. n. 21) *obdormiuit in pace Iesu quem dilexit.*

Iuit in pace Romae inuenitur annis **349**, **369**, **392** (IChr. I n. 107, 211, 400), *iit ad deum* a. **359** (n. 141).

De saeculo exibit Romae a. **317** uel **330** et a. **362** (n. 33, 151), *exibit in pace* a. **360** (n. 144), *exsiui . . de corpore* a. **407** (n. 572).

Obeundi uerbum Romae in titulis certorum annorum non inueni nisi in poeticis (IChr. I n. 82 a. **345**, n. 943 a. **528**); Ferentini *que obita est* exstat in titulo saeculi fere quinti (CIL. X n. 5902, si modo sensum recte restituo *'basilica(m) a s(a)euis [hostibus destructam reficiendam c]urauit'*); in Gallia Transalpina *obiit* frequentissimum est ab anno **422** usque ad annum fere **688** (Le Bl. n. 53 et n. 621, hic titulus Iudaicus est, praecedunt Christiani anni fere **630** n. 373 A, 377), *o. de saeculo* legitur post a. **485** (CIL. XII 2485 = Le Bl. 388 A), *o. in pace* ab a. **486** ad a. **573** (Le Bl. n. 662; CIL. XII 2093 = Le Bl. n. 449), *o. in Chr(ist)o* ab a. **515** ad a. **563** (CIL. XII 2067 = Le Bl. n. 693; CIL. XII n. 5861; n. 2187 = Le Bl. n. 466 A); in Hispania *obiit in pace* est a. **630** (IHChr. 142); in Africa a. **419** (CIL. VIII n. 8641).

Transiit in Gallia Transalpina exstat primum anno **466**, postremum a. **646** (Le Bl. 74, 476), *transiit de hunc secol.* a. **695** (n. 477), *transiit in pace* a. **485** uel **508** uel **509** (CIL. XII 2062 = Le Bl. n. 434) et a. **546** uel **606** (Le Bl. n. 556 D); adde *accepit transitum suu(m)* a. **643** uel **690** (Le Bl. n. 586 A); praeterea legitur *transiit* Genuae a. **490** (CIL. V 7742), adponam Comensem titulum a. **547** (n. 5411) legendum sic fere *trans(e)at*

s(an)c(tae) m(emoriae) prole(s) eius; in Hispania *transiuit* est a. **624** (IHChr. n. 138).

Migrauit de hoc saeculo Romae a. **493** (IChr. I n. 901), *m. de hac luce* in Cremonensi titulo a. **481** (CIL. V 4117) et in Gallico a. **516** (CIL. XII 1792); *ut sanctior migraret ad [deum]* CIL. V 8958 (a. **488**).

Mortuus Romae a. **269**, **295** (IChr. I n. 11 ʻμορτουαʼ, n. 20); Capuae a. **399** (CIL. X 4493a); in Africa a. **461**, **469** (CIL. VIII 9731, 9732); *moritur* in Gallia Transalpina a. **470** (CIL. XII 1497 = Le Bl. n. 496).

Pausauit Romae a. **353**, **401** (IChr. I n. 117, 497), in Gallia Transalpina a. **449** (Le Bl. n. 667).

Accipe depositionis formulas:

H]ic hum[atus est] Romae a. **433** (IChr. I 679).

Hic iacet initiis epitaphiorum positum inuenitur in Christianis titulis Romanis ab a. **371** (IChr. I n. 224) per centum fere annos (n. 835 a. **471**; n. 846 a. **439** uel **472**; n. 857 inter a. **458** et **474**); *H. i. in pace* a. **524** (n. 991); Mediolanii a. **402**, **409** (CIL. V 6224, 6257); in Gallia Transalpina a. **447**, **449** (Le Bl. n. 35, 667); in Britannia haec formula frequentissima est plerumque in medio titulo posita annis incertis, initio posita a. **720** (IBChr. 120); in Africa exstat inter annos **405** et **440** (CIL. VIII 8638, 8634); Salonis a. **599** (CIL. III 9527).

Positus est in titulis Romanis ab a. **360** ad a. **490** (IChr. I n. 146, 895); in Italia inferiore ab a. **360** ad a. ut uidetur **468** (CIL. X 4485, 1539); in Italia septentrionali a. **354** uel **365** uel **376** et a. **446** (CIL. XI 2551, 4077); Mediolanii post a. **402** et a. **435** (CIL. V 6224, 6201).

Depositus Romae frequentissimum est inde ab a. **290** (IChr. I n. 15) cf. n. 1126 anni **589**, *d. in pace* inde ab ineunte saeculo quarto (n. 31 a. **310**) cf. n. 1123, inter a. **566** et **578**; in Italia inferiore et insulis *depositus* ab anno **343** (CIL. IX 3073) passim, cf. CIL. X 7330 (a. **602**); *d. in pace* ab a. **359** (CIL. X 1338) cf. CIL. IX 2437 (a. **553**); in Italia septentrionali *d.* ab

exeunte saeculo quarto (CIL. XI 802 a. ut uidetur **394** cf. n. 350 (a. **581**); in Gallia Cisalpina ab a. **382** ad finem saeculi sexti (CIL. V n. 1620; n. 7771 a. **591**); in Gallia Transalpina rarissimum est; exstat in titulo anni **492** uel **517** (CIL. XII 590 = Le Bl. n. 623); item in Africa rarum est (cf. e. c. CIL. VIII 14120, 16656 ss, 19914 al.); ad certos annos referri possunt n. 8708 (a. **448**) et 8630 (a. **452**: *depositae sunt reliquiae sancti Laurentii martyris*); Salonis exstat ab a. **359** ad a. **437** (CIL. III 9503, 9518); Hispaniae et Britanniae exempla quae certis annis assignem mihi desunt.

Depositio ⟨*illius*⟩ dicitur in titulis Romanis inde ab anno **336** (IChr. I n. 45, fortasse iam a. **333**, n. 40); initio titulorum scripta est haec uox primum anno **341** (n. 62); post medium saeculum quintum Romae desueuit (cf. n. 717, 744, a. **444**, **448**); in Italia inferiore et insulis ab a. **440** ad a. **546** (CIL. IX 1367, 1388); in Etruria exstat iam in titulo anni **290**, qui prodiit e coemeterio S. Mustiolae Clusino (CIL. XI 2573), post a. **403** (n. 4044, 4045 = IChr. I n. 519, 520) nullum ibi inueni exemplum; in Gallia Cisalpina est in titulis anni **444** uel **493** et anni **474** (CIL V 7772, 7978); in Gallia Transalpina pauca sunt exempla, quorum primum est anni **334** (Le Bl. n. 62), ultimum anni **579** (CIL. XII 2094 = Le Bl. n. 438 A); initio posita est anno **405** (Le Bl. n. 591), inde ab a. **474** (n. 631) coniuncta cum copula *est*; in Hispania unicum certi temporis exemplum est IHChr. n. 18 anni **666**; Salonis est ab a. **358** (CIL. III 2654) ad a. **464** uel **491** (n. 9523); in Africa nullum exemplum quod certo anno adtribuerem inueni, exstat autem e. c. CIL. VIII 10639; in Britannia non exstare uidetur.

Repositus Romae inter a. **530** et **533** (IChr. I n. 1037); Rauennae *repositus est* anno ut uidetur **571** (CIL. XI 315).

Quiescendi uerbum in titulis Romanis primum receptum est a. **338** (IChr. I n. 51), *hic quiescit* initio positum inuenitur inde ab a. **380** (n. 285, 288); formulae *hic quiescit in pace* fortasse idem titulus n. 285 a. **380**

primum exemplum exhibet, sequitur n. 501 a. **401**; Italiae inferioris et insularum exempla pauca sunt; exstat annis **343**, **392**, **431**, **435**, **478** (CIL. IX 3073, X 5646, 7168, 7113, IX 2073); in Etruria semel apparet]*quieuit in pace* a. **407** (CIL. XI 2994), an fuit [*re*]*quieuit?* Ticini in titulo anni **496** *Hic in pace quiescit* (CIL. V n. 6468); in Gallia Transalpina hoc uerbum sic inducitur plerumque (*in*) *hoc tumulo quiescit*, ab anno **492** ad medium uel exiens saeculum sextum (Le Bl. n. 32, CIL. XII 2090 = Le Bl. n. 406; adde Le Bl. n. 570), *hic in pace quiescit* a. ut uidetur **492** et a. **553** (CIL. XII 590, 944 = Le Bl. n. 623, 512); in Hispania exstat annis **586** et **662** (IHChr. 14, 54); in Africa ab a. **406** ad a. **510** (CIL. VIII 8644, 11649); Salonis *hic quiescit in pace* initio positum tituli anni **407** (CIL. III 9511).

Multo frequentius uerbo simplici atque ut ita dicam sollemne est *requiescit*: Romae primum exstat a. **348** (IChr. I n. 99; n. 81 a. **345** u. infra inter Etrusca); *hic requiescit* initio positum primum a. **396** (n. 436; cf. n. 396 a. **391**: *Hic Leo requiescit*); multo frequentius *in pace* additur, cuius formulae primum exemplum est *Notiz. d. scavi* 1888 p. 449 n. 43 a. **383**, sequitur IChr. I n. 577 a. **407**, (sed cf. n. 510 a. **402** . . . *requiescit in conss. dd. nn. Arcadi et Honori* ubi tamen praecedit *depositus . . . in pace*); *Hic r. in somno pacis* a. **432**, **567** (n. 678, 1117); in Italia inferiore et insulis *Hic requiescit* initio titulorum scriptum inuenitur primum a. **435** (CIL. X 3298), *H. r. in somno pacis* ab a. **460** ad a. **570** (CIL. IX 1372, X 4516), *H. r. in pace* bis saeculo quinto (CIL. X n. 1539 a. ut uidetur **468**, n. 7329 a. **488**), deinde passim saeculo sexto (cf. CIL. X n. 7330 a. **602**); in Italia septentrionali primum exemplum est a. **345** (CIL. XI 4033 = IChr. I n. 81), in quo titulo est *requiescit in somno palcis*; *Hic requiescit* exstat a. **394** uel **396** uel **402**, a. **400** uel **405**, a. **536** (CIL. XI n. 802, 3238, 1692), *H. r. in pace* ab a. **436** ad a. **581** (n. 1691, 350); in Gallia Cisalpina formulae

initialis *H. r. in pace* paene innumerabilia exstant exempla saeculi quinti et sexti (CIL. V 6217 a. **404**, n. 7771 a. **591**); quibus desit *in pace,* haud ita multa ab a. **415** ad a. **526** (n. 6398, 5405); *Hic in somno pacis r.* a. **470, 471, 479** (n. 6732, 6741, 6730), *H. r. in somno pacis* a. **523, 526** (n. 7137, 6813); in Gallia Transalpina *H. r.* exstat ab a. **422** ad a. fere **530** (Le Bl. n. 53; CIL. XII 2074), *H. r. in pace* ab a. **467** (CIL. XII 1791), *H. r. bonae memoriae* ab a. **458** uel **473** (Le Bl. n. 72), *H. r. in pace bonae memoriae* ab a. **485** (CIL. XII 2057), *In hoc tumulo r. bonae memoriae* ab a. **493** (Le Bl. n. 69), *In hoc tumulo r. in pace bonae memoriae* ab a. fere **495** (CIL. XII 2059 = Le Bl. n. 458EE); in Hispania *Hic requiescit* initio positum est a. ut uidetur **465** (IHChr. n. 147), *requieuit in pace* inde ab a. **482** (n. 42) saepius; in Africa *Hic requiescit* a. **475** et a. **484** uel **513** (CIL. VIII 9709, 2013), [*requies*]*cit in pace* in titulo n. 9271 posito inter a. **449—488** uel **529—538**; Salonis *Hic requiescit in pace* est in titulis factis inter a. **425—435**, a. **432**, **437** (CIL. III 2657, 9517, 9518); Britannici tituli qui hoc uerbum exhibent certis temporibus adtribui nequeunt.

Sepultus satis rarum est; inuenitur in Italia inferiore post a. **376** (CIL. IX 5284); in Italia superiore a. **354** uel **365** uel **376** et a. **523** (CIL. XI 2551, 549); Veronae a. **532** (CIL. V 3897); in Hispania a. **642** (IHChr. 123); in Africa a. **495** (CIL. VIII 9286); Salonis inter a. **425—435** (CIL. III 2657); in Britannia bis annis incertis (IBChr. 153, 165).

Tradita sepulturae legitur in titulo Salonitano a. **378** (CIL. III 9507).

(*Hic*) *situs est* in titulis Romanis prosa oratione conscriptis exstat ab a. **381** ad a. **537** (IChr. I 304, 1057).

Sepulcrum simplici uerbo *locus* dicitur addito nominis quod sepulto erat casu genitiuo Romae ab a. **383** ad a. **584** (IChr. I 322, 1125).

Coniugii anni Romae saepius indicantur hac formula *fecit*

cum marito (*uirginio, compare*), cuius primum exemplum est anni **366** uel **367**, ultimum anni **408** (IChr. I 190, 587).

Accepta aput deum Romae a. **432** (IChr. I n. 678); *accepta est* in Africa a. **471** (CIL. VIII 9733); *quorum ispiritus* [. . .] *acceptus est* in titulo Aquileiensi anni incerti (CIL. V 1720).

Receptus ad deum Romae a. **217** (IChr. I n. 5); *receptus in pace* in Hispania a. **485, 489, 663** (IHChr. 46, 47, 124).

In luce domini susceptus est in titulo Romano anni **397** (IChr. I n. 442).

Consecutus est Romae a. **407** (IChr. I 572), Capuae a. **371**. (CIL. X 4488); *gloriosi fontis gratiam consecuta est* Salonis CIL. III 9586 anno incerto.

Euocatus a domino in titulo Atripaldano anni ut uidetur **541** (CIL. X 1192).

Vixit in pace: Romae a. **388** (IChr. I n. 375), Tarracinae a. **345** (CIL. X 6420), in Gallia Transalpina inde ab a. **486** (CIL. XII 2485 = Le Bl. n. 388 A), in Africa a. **427** (CIL. VIII 11127); *uixit in (hoc) saeculo* Romae rarum est; inuenitur annis **279** et **403** (IChr. I 14, 521); Florentiae a. **488** uel **511** (CIL. XI 1142), Rauennae a. ut uidetur **571** (CIL. XI 315); in Gallia Cisalpina huius formulae ut initii illius *Hic requiescit in pace* plurima exstant saeculi quinti sextique exempla (CIL. V n. 6282 a. **408**, n. 7771 a. **591**); in Gallia Transalpina reperitur a. **524** et a. ut uidetur **547** (CIL. XII 2069; 2185 = Le Bl. n. 467); in Hispania bis a. **662** (IHChr. 54, 99).

Bene merenti: Romae inde ab a. **298** (IChr. I 25), adhibitum est saeculo quarto octogiens fere, quinto quadragiens, post quintum saeculum nullum certum inueni exemplum (cf. n. 874, 910, 937); in Italia inferiore et insulis est *bene merito* a. **357** (CIL. X 1191), *merenti* a. **360** (n. 4485, num etiam n. 4489 a. **376** . . *m*]*erenti?*) *bene merenti* a. **376** (?), **392, 397** (n. 4489, 4491, 4493),

bene merenti in pace a. **453** uel **524** (n. 7115); Capenae *bene merenti* a. **395**, **446** (CIL. XI 4043, 4077).

Memoria: *comparauit sibi memoriam* Romae a. **397** (IChr. I 448); in Italia inferiore *Memoriae* initio tituli a. **400** (CIL. IX 1363); in Africa *Memoria* initio positum sequente nominis proprii casu aut nominatiuo aut genitiuo adhibitur saepissime in titulis Mauretaniae Caesariensis, de quibus supra dixi p. 20, quorum e numero uerbum *Memoria* primus exhibet titulus a. **327** (n. 9890), primus quem certum est esse Christianum a. **414** (n. 9718), ultimus a. **583** (9870); *Memoriae* initio positum ibi est ab a. **345** ad a. **485** (n. 9793, 9734); *Memoriae aeternae* est initio tituli Augustodunensis a. **378** (Le Bl. n. 7); *memoriam aeternam . . . dedicauit* Rauennae a. ut uidetur **435** (CIL. XI n. 270).

Bonae memoriae initio positum est Romae a. **343**, **365** (IChr. I n. 72, 181), *bene memori* et [*bonae*] *memoriae* in textu titulorum a. **407** et **464** (n. 580, 812); in Italia inferiore *bonae memoriae* adest a. **490** uel **535** et a. **543** (CIL. X 1346, IX 412), *sanctae memoriae* ab a. **519** ad a. **553** (CIL. IX 410, X 1357), *Mem. uenerandae* initio scriptum a. **478** (CIL. IX 2073); in Italia septentrionali *bonae memoriae* inuenitur a. **400** uel **405** (CIL. XI 3238); in Gallia Cisalpina *bonae memoriae* exscriptum ab a. **432** ad a. **481** (CIL. V 7530, 4117 sed cf. *BM*), *sanctae mem.* ab a. **471** ad a. **575** (n. 6741, 6401); in Gallia Transalpina *bonae memoriae* frequentissimum est inde ab a. **470** (CIL. XII 1497 = Le Bl. n. 496; Le Bl. n. 72 est a. **458** uel **473**); adiectiuum hac ex formula fictum *bonememorius* uel *benememorius* primum apparet a. **492** (Le Bl. n. 32); *uenerabilis memoriae* a. **472** (CIL. XII 1724 = Le Bl. n. 391), *sanctae memoriae* a. **519** (CIL. XII 1500 = Le Bl. n. 489): in Hispania *bonae memori*[*ae*] est in titulo anni **666** (IHChr. 18); in Africa anno **457** (CIL. VIII 9693) est ab initio, in textu a. **468** et **474** (n. 9713*a* et *b*), *sanctae memoriae* in textu a. **475** (n. 9709).

De *B. M.* litteris utrum in *b(ene) m(erenti)* an in *b(onae) m(emoriae)* supplendae sint quaerenti ratio habenda est et conexus uerborum et usus illarum formularum. Itaque Romae pro *b(ene) m(erenti)* scriptae inueniuntur a. **345** et a. **371** uel **406** (IChr. I n. 84, 563), *b(ene) m(erenti) in pace* a. **346**, **350**, **363**, **373**, **517** (n. 91, 110, 167, 239, 930), pro *b(onae) m(emoriae)* a. **449**, **471**, **525** (n. 745, 835, 1003); in Italia inferiore pro *b(ene) m(erenti)* a. **343**, **400** (CIL. IX 3073, 1363), *b(ene) m(erenti) in pace* a. **399** (CIL. X 4493a), pro *b(onae) m(emoriae)* ab a. **411** ad a. **551** (CIL. IX 1365, X 101, adde X 4502 a. **552** *BNM*); in Italia septentrionali inde ab a. fere **400** (CIL. XI 802 est anni **394** uel **396** uel **402**) ad a. **547** (n. 1693) saepius est *B. M.* titulis praescriptum, semper legendum *b(onae) m(emoriae)*; similiter in Gallia Cisalpina *B. M.* saepissime inuenitur plerumque titulis praescriptum, semper in *b(onae) m(emoriae)* explendum; primum est exemplum a. **387** (CIL. V 6243); in Salonitano titulo anni **443** (CIL. III 2659) item legendum est *b(onae) m(emoriae)*.

Honestae recordationis uir est Romae a. **396** (IChr. I 436); *bonae recordationis* in Gallia Transalpina ab a. **496** ad saeculum septimum (CIL. XII 1724 = Le Bl. n. 391; n. 586 A).

Ancilla dei Romae ab a. **380** (IChr. I 288) ad sextum saeculum (n. 975 a. **521**, n. 1111 inter a. **463** et **565**); Nuceriae a. **548** (CIL. X 1109).

V(ir) d(euotus) Romae legitur a. **454** uel **525** et a. **487** (IChr. I 997, 887); *deo suo deuotus* Syracusis a. **356** (CIL. X 7167); *uirgo deuota deo* in Gallia Cisalpina a. **527** (CIL. V 5219).

Famulus (famula) dei (domini, Christi) in Italia inferiore a. **442** et **542** (CIL. X 1519, 1351); in Gallia Cisalpina ab a. ut uidetur **484** ad a. **571** (CIL. V 5241, 5230); in Gallia Transalpina ab a. **449** ad a. **570** (Le Bl. 667, CIL. XII, 2092 = Le Bl. n. 432 B).

Fidelis exstat in titulis sepulcralibus Romanis ab a. **367**

ad a. **486** (IChr. I 194, 886), *fidelis in Chr(ist)o* a. **483** (n. 882), *f. in pace* (uel *in p. f.*) a. **404** et **486** (n. 533, 886); in Italia inferiore *fidelis deo* a. **346** (CIL. X 4712), *fidelis* a. **435** (n. 7113); in Italia septentrionali tria exstant exempla, quorum anni quamuis indicati tamen non satis constant; primum et alterum saeculi fere quarti exeuntis, tertium quinti exeuntis uel sexti ineuntis (CIL. XI 2551, 802, 1019); in Gallia Cisalpina annis **487** et **535** (CIL. V 6286, 5692); in Gallia Transalpina annis **472**, **514** (CIL. XII 1724 = Le Bl. 391; CIL. XII 1692); saeculo quarto exeunti tribuit Le Bl. titulum Treuirensem n. 265, quem posuit *Ursacius cursor dominicus*; in Africa *fidelis in pace* a. **360** et **471** (CIL. VIII 10927, 9733), *fidelis* solum a. **557** (n. 5262).

Homo dei Romae a. **403** (IChr. I 523).

Religiosa femina Panormi legitur a. **488** (CIL. X 7329); in Gallia Transalpina *uir religiosus* a. **485** uel **508** uel **509** (CIL. XII 2062 = Le Bl. n. 434), *religiosa* annis **511**, **520**, **524**, **540** (CIL. XII 2064, —, 2070, 2081 = Le Bl. n. 387 A, 663, 435, 688).

Puella uirgo sacra Romae a. **449** (IChr. I 745); *sacra uirgo* Nolae a. **542** (CIL. X 1351); in Gallia Cisalpina: *grata deo puella* a. **463** (CIL. V 5420), *d(e)o sacrata* a. **471** (n. 6741), *placida deo* a. **487** (n. 6286); in Gallia Transalpina: *deo sacrata puella* a. **431** (Le Bl. n. 44), *puella deo placita* a. **491** (CIL. XII 2384 = Le Bl. n. 388).

Deo seruiens Romae a. **509** (IChr. I 943) *dei seruus* in Italia inferiore anno ut uidetur **541** (CIL. X 1192).

Quartum saeculum uix excedunt nimiae illae laudationes defunctorum, ut *mir[ae] bonitatis atq. sanctitati[s]* similiaque, cf. IChr. I 98 a. **348**, deinde saepius usque ad a. **407** (n. 573; n. 816 inter a. **379** et **464**), uide etiam CIL. IX 5300 (a. **385**) et titulum Salonitanum anni **378** (CIL. III 9507).

Acclamationes, quales sunt *uiuas, uiuas inter sanctos* similes exstant Romae a. **268** uel **279** (IChr. I 10; n. 29

a. **307**: *pi*]*e seses* i. e. ζήσῃς); cetera exempla urbis Romae et prouinciarum plerumque certis annis adtribui nequeunt, maximam partem saeculi tertii uidentur esse: a. **324** est in titulo Africano *in deo uiuas* (CIL. VIII 9708). — *Refrigera cum spirita sancta* Romae a. **291** (IChr. I 17); — *in pace* extremo titulo adhaesit Romae ab a. **336** (IChr. I 45) ad medium fere saec. quintum (n. 741 a. **448**, n. 847 a. **439** uel **472**, n. 993 a. **453** uel **524**). — *pax tecum* haud infrequens in Gallia Transalpina; anni ut uidetur **509** est exemplum CIL. XII 1498.

Amen in fine inscriptionum inuenitur in Gallia Transalpina a. **553** (CIL. XII 944 = Le Bl. 512, in acrostichide), in Hispania a. **614** et **708** (an **688**?) (IHChr. 171, 96), in Africa a. **452** (CIL. VIII 8630), in Britannia anno incerto (IBChr. 169).

E metricis quoque obseruationibus nonnihil de aetate carminum epigraphicorum concluditur. Attamen hac in re caute esse procedendum est quod moneam. Nam bonos, immo optimos uersus ad antiquas leges metricas homines antiquis litteris imbuti exacte composuerunt usque ad saeculum septimum octauumque, ne recentiora quaeram exempla; uide e. g. carmen IChr. II 129, 13 (a. **686**), in quo quinquiens pentameter exit in uocem bisyllabam, semel in trisyllabam; adde Caroli Magni et Hildegardae carmen ib. 147, 9. At contra carmen inter prima epigraphica Christiana recensendum, quod fecit Seuerus Marcellini papae (**296**--**304**) diaconus, huiusmodi uersum exhibet *iussu p(a)p(ae) sui Marcellini diaconus iste* (AL epigr. 656, 2). Itaque illud quam maxime interest, utrum docti atque urbani hominis sint uersus an rustici indoctique.

Omnino inscriptiones quae aliquam poematum speciem prae se ferunt in quattuor si quid uideo genera secernendae sunt. Primum est genus carminum mere metricorum. Secundum est genus carminum metrice quidem sed neglecta interdum prosodia compositorum; quo in genere etiam discernere licet, utrum ita contra prosodiam peccetur, ut uerba eodem sono quo in prosa oratione pro-

nuntiata uersuum rhythmum efficiant necne. Tertium genus est inscriptionum, quae e metricis frustulis prosaicisque permixtis constant; hoc quoque genus bipartitum est, siue carmen compositurus erat epigrammatarius, idque nominibus aliisue additamentis deformatum est, siue orationem pedestrem, eaque frustulis e carminibus mutuatis aliqua metrorum specie adfecta est. Postremum genus est carminum, in quibus neque uocum quantitates neque usitatus uersuum tenor respiciuntur, sed id solum obseruatur, ut singuli uersus pari uel paene pari syllabarum numero fingantur; itaque pronuntianda sunt ut prosa oratio. De huiusmodi carminibus egit Guil. Meyer in *Sitzungsber. d. Bayr. Acad., phil. hist. Cl.* 1882 p. 79 ss.

Bene ac pure composita sunt inprimis carmina ecclesiis inscripta et episcoporum epitaphia, quorum e numero haud paruo pauca commemorasse sufficiet. Ac primum quidem uelim conferas Damasi epigrammata paene nullis mendis composita (cf. Ihmii indicem prosodiacum p. 134 s); deinde uide AL epigr. 905 (a. **398**). 913 (inter a. **440—461**). ICbr. II 147, 11 (inter a. **461—485**). 54, 6 (inter a. **523—525**). Le Bl. n. 170. 171. 176. 402 (s. **VI**); addo alia quaedam carmina bona AL epigr. 652 (a. **368**). 1347 A et B (c. a. **400**). 690 (a. **471**). 1370 (a. **525**). 899 (a. **565**). 715 (a. **570**).

Proxima his sunt ea carmina, quae auctores ad antiquas leges componere conati sunt sed non adsecuti nisi licenter syllabarum quantitate et hiatu usi siue abusi. Proferre licet exempla, quae et contra quantitatem et contra pronuntiationem pedestris sermonis pugnent: AL epigr. 730 (s. **III**) u. 5 *haec ĭllĭ*; ib. 650 (a. **360**) u. 4 *memōratu*; 914 (a. **451—462**) u. 1 *redīuiuis*; 778 (s. **V**, an **VI**?) u. 2 *ecclĕsiae*, 4 *in fidĕ cātholica*; Le Bl. 425 (a. **522**) u. 4 s *umbra perpetuā leti*, 25 *eloquio* ˇ *et*; CIL. XI 284 (a. **521—532**) u. 3 *mistĕrium*; 297 (a. **595**) u. 3 *cĕpit*, 10 *ecclĕsiam*; ICbr. II 52, 1 (a. **604**) u. 11 *Angelŏs conuertit*, 14 *offĕras*; ib. 128, 9 (a. **615**) u. 3 *indecŏra*, 11 *quo hunc*, 13 *quĭdem*; ib. 78, 1 (a. **626—638**) u. 12

fide ˇ *opere,* 18 *ecclĕsiis*; ib. 52, 2 (a. **682**) u. 11 *uĕro,* 92, 59, 2 *natŭrăe quos dĕbeo*; 100, 12a, 1 *aspicitē,* 2 *clarā* (nom. pl.); 165, 13, 4 *sempĕr uidet,* 9 et 10 *uŏbis,* 10 *plangĕntibus*; AL epigr. 787, 12 *scēdā* (nom.); 852, 6 *plebēm* ˇ *operā*; 1405, 12 *pārentum,* 14 *cŭras.*

Sed multo frequentiora sunt uitia e communi uerborum pronuntiatione et orta et excusata. Exempla habes: AL epigr. 730 (s. **III**) u. 3 *Ágapĕ*; IChr. 102, 30 (a. **398**) u. 4 *sólī clamáret,* 7 *ecclésiaĕ* ˇ *aúlă*[*m*] *dĕféndens,* 9 *in ánnŏs amóre*; ib. 114, 80 (c. a. **418**) u. 3 et 9 *ĕclésia*; Le Bl. 425 (a. **522**) u. 29 *séptiĕs híc*; AL epigr. 707 (a. **534**) u. 9 *fīliórum*; 712 (a. **553**) u. 6 *nĕque,* 13 *pestífera,* 32 *cándidă ménte*; CIL. XI 301 (a. **578—595**) u. 8 *túlit honóre*; IChr. II 89, 42 (a. **626—638**) u. 3 *Auróră*[*m*] *subíre,* 8 *mártyrum ĕ bústis,* 9 *súrsum uérsa nútŭ quŏd cúnctis cérnitur úno* (?); ib. 127, 7 (a. **626—638**) u. 1 *tŏrpuérunt*; ib. 144, 4 (a. **626—638**) u. 1 *uibrárē iánuă*[*m*] *cérno,* 4 *géminīs ín portís óra iŭcúnda nitént,* 6 *rădiat,* 7 *áditus, ŏpes,* 8 *cŭmulīs,* 9 *aúreīs,* 14 *cúnctī*; ib. 64, 14, 2 *átque uĕsána*; 88, 35, 2 *cum nátīs obiuit*; 88, 37, 2 *fámă uigénte,* 6 *Christŏ iùuánte* (sed haec correptio *ō* litterae iam primo p. Chr. saeculo inualuit; uide etiam AL epigr. 1374 (a. **532**) u. 10 *nunc orandŏ fugans, nunc miserandŏ famem* et Le Bl. 166, 7 *flendŏ rigabat*); IChr. II 91, 55, 20 *máximă*[*m*] *pálmă*[*m*] *suis,* 22 *triúmphŏs ouáns,* 24 *bústīs habére*; ib. 100, 12a, 6 *probăuérunt*; ib. 102, 26, 1 *laétī recédunt*; ib. 127, 6, 2 *quém perĕmisse*; 168, 19, 7 *múndī creátor,* 8 *tartárea*; AL epigr. 755, 2 *fōuéntur lúce caĕlésti.* Verum non solum singula in singulis carminibus huiusmodi uitia inueniuntur, sed cumulata exstant atque ita, ut paene oppressas esse ab his antiquas leges metricas dicas; uide AL epigr. 656 (c. a. **300**), 662 (a. **363**), 693 (a. **483**), 699 (post a. **517**), 709, IChr. II 293 s, 1 et 2.

Tertio loco supra posuimus inscriptiones quae e solutae et uinctae orationis particulis constant, quarum altera pars eas amplectitur quas carmina esse uoluerunt scriptores,

sed deformarunt aut nominibus aut aliis uerbis additis: Horum primum inter Christiana exemplum agnosco IChr. I 288 (a. **380**):

Hic quiescit ancilla dei [q]ue de | sua omnia possedit domum ista(m), |
qu[a]m amice deflen(t) solaciumq. requirunt. |
pro hunc unum ora subolem quem super⟨i⟩s|titem re(li)quisti.
eternam requiem felicita|(ti)s causa man(e)bis.

Alia exempla uide AL epigr. 710 (a. **551**) u. 3 *nómine Pulcheria fuít*; 720 (a. **630**) u. 1 *Haec tenet orna tu(u)m uenerand(u)m corpus ⟨Vincenti⟩ abb(at)ix*; 741, u. 1 *⟨Leontia bene merita⟩ teget haec sedes cui tale sepulchrum* cet.; 773, u. 1 *⟨Vrsiniano subdiacono⟩ sub hoc tumulo ossa quiescunt*; 919, u. 1 *Aula micat ⟨ubi corpus beati s(an)c(t)i Anthioci quiebit in gloria⟩ uirtutis opus reparante ministro.* Similiter carmen AL epigr. 737 Guil. Meyer (l. c. p. 192 adn.) dicit fuisse antea pro Christiana aetate satis bonum, sed additamentis deformatum esse, cf. uu. 1, 5—8:

⟨O Rhode, dulcis anima,⟩ acerbo ⟨mihi⟩ funere rapta, —
quid primum tolerare queam, ⟨tua⟩ dum singula quaero,
cum uenit in mentem quod ⟨tuorum⟩ tu decus omnium esses?
quid ⟨pudor castus⟩, quid sancta fides moresque benigni
ingenium⟨que⟩ doctrina⟨que tua⟩ et uerba sobria mente?

(u. 7 *quid probitas?*, 8 uar. l.: *ingenium doctrina et uerba salubria mente*). Fortasse huc referendum est etiam AL epigr. 711 (a. **552**).

Altera pars est inscriptionum, quas sermone pedestri componere sibi uisi sunt auctores, tamen sententiis tamquam formulis repetitis e carminibus aliquam uersuum speciem expresserunt. Exempla uide AL epigr. 664 (a. **368**) u. 1 *Quiensces in pace merens Leontia con*[*iux*]; 717 (a. **588**) *expleuit tempora multa*; Le Bl. 17 (a. **601**) *membra quiescunt* || *nam fuit iste* || *stacio miseris et portus eginis* || *omneb(u)s apt(u)s*; 199 (s. **VII**) *teguntur fata sepulchro* || *meretis fulgens*; 270 et 391 *in pace fidelis.*

Quarti generis carminum epigraphicorum, i. e. eorum quorum uersus e paribus uel paene paribus numeris sylla-

barum constant, primum exemplum mihi innotuit Lugdunense Le Bl. 22 (melius Allmer et Dissard, *inscr. du mus. de Lyon* IV p. 94); est epitaphium Viuentioli (u. 2) mortui c. a. **520**. *Viuenc[io]le papa* acrostichide dici Buecheler cognouit ac restituit u. 6 *cuem* pro *quem* legens et post hunc u. duos uersus non unum, ut traditur, deesse animaduertens; cf. adnot. ad AL epigr. 1433. Huius carminis uu. 1—12 constant e duodenis ternisue denis syllabis, uu. 13—16 (PAPA in acrost.) e 15, 17, 17, 16 syllabis. Ticinensia carmina IChr. II 170 s, 26 ss commemorauit Guil. Meyer l. c. p. 191. Carminis n. 26 (c. a. **710**) u. 16 quatuordecim, uu. 1—8, 12, 15, 18—20, 22, 23, 26 quinis denis, uu. 9—11, 13, 14, 17, 21, 24, 25 senis denis syllabis constant. Carmen n. 27 quod Damasi imitationem prae se fert, constat tredecim uersibus, quorum medius, septimus, septendecim syllabarum est, ceterorum trini ternis denis, quaternis d., quinis d., senis d. constant. Carminis p. 171, 28 (= AL epigr. 796) u. 6 tredecim, u. 7 sedecim, ceterorum tres quaternis denis, quinque quinis denis syllabis constant. Epitaphii p. 171, 29 (Meyer p. 102) uersus 10, 12—15 quinas denas, ceteri quaternas denas syllabas amplectuntur.

Strophicam quandam compositionem agnoscere mihi uideor in carmine IChr. II 286, 8:

Aeterni salutifera regis rutilat forma
eiusque intact(a)e matris almus describitur uult(u)s
praeclarumque martirum ac uirginum
        almificus fulget chorus
eximius Christi sacratus sanguine [claro];
quorum fultus praesidiis nomen sanctissimum
perennis uitae particeps effectus uiuere
        mereatur per saec[u]la.

Quinquagenis syllabis constant strophae, siquidem recte suppleui u. 5 et 8; ultimus utriusque strophae octonas syllabas, ceteri prioris strophae 15, 16, 11, posterioris quaternas denas syllabas amplectuntur.

Nomen defuncti per acrostichidem indicatum saepius inuenitur in carminibus epigraphicis Christianis; primum

est a. **359** AL epigr. 661; uide ibidem n. 669 (a. **382**), 676 (a. **395**), 696 (a. **506**), 704, 708 (**539**), 709 (**553**), 725 (**762**), 744—749 (n. 746 a laeua laceratum est, sed cf. u. 12), 795—797, 858, 1366, CIL. V 1693; IChr. II p. 461; acrostichis et telestichis est PAVLVS | LEVITA AL epigr. n. 726 (a. **783**), ubi Buecheler praeterea uersu ultimo repeti nomen putat primas et postremas litteras altrinsecus legendo

pauso sepultus ego Paulus praesentibus ex[s]ul;

ego de solis litteris P et L cogitaueram. Alios acrostichides et telestichides habes AL epigr. 727; IChr. II 295, 8 (s. VIII).

Nolui hoc loco praeterire compositionis formam, qua usus est Sedulius hymn. I ita, ut hexametri initium repetatur in pentametri fine, interdum imitatos esse inscriptionum poetas. Sedulius dicit e. c. h. I uu. 3—6:

Primus ad ima ruit magna de luce superbus:
sic homo, cum tumuit, primus ad ima ruit.
Vnius ob meritum cuncti periere minores:
saluantur cuncti unius ob meritum.

Quibuscum conferendum est carmen IChr. II 165, 13

Regna poli ianuas populus intrate per almas,
currite Christicolae, prendite regna poli.
nuntius hic domini, cuius intratis in aulam,
semper uidet faciem nuntius hic domini e. q. s.

u. 1 initium usque ad caesuram trithemimerem repetitur in fine u. 2, sed inde a u. 3 usque ad penthemimerem, ut apud Sedulium, hexametrorum initia repetuntur. Similiter in carmine IChr. II 168, 20, uu. 3—6:

huic famuletur homo, famuletur et angelus omnis:
hic deus est uerus, huic famuletur homo.
omnia quique regit, solus qui cuncta gubernat:
nostra salus hic est, omnia quique regit.

Multum ad aetatem carminum epigraphicorum definiendam proficitur comparatis carminibus his et inter se et cum poetis aliis.

Ac primum quidem inlustrium ecclesiarum carmina aut tota repetita aut ad fingenda noua adhibita esse

Rossius IChr. II p. 47 s. demonstrauit. Celeberrimum exemplum est carmen AL. epigr. 315 quod idem in Africa saeculo fere sexto insculptum esse lapidis fragmentis comprobatur (IChr. II p. 47, CIL. VIII 10698). Quod idem carmen etiam Prudentii uersus in memoriam reuocat, quos cum illo componere operae pretium uidetur esse. Ipsum carmen est:

Justitiae sedis, fidei domus, aula pudoris,
haec est quam cernis, pietas quam possidet omnis;
quae patris et fili uirtutibus inclyta gaudet,
auctoremq. suum genitoris laudibus aequat.

Prud. S. II 249—255:

Templum mentis amo non marmoris. aurea in illo
fundamenta manent fidei, structura niuali
consurgit pietate nitens, tegit ardua culmen
iustitia, interius spargit sola picta rubenti
flore pudicitiae pudor almus et atria seruat,
haec domus apta mihi est, haec me pulcerrima sedes
accipit aeterno caelestique hospite digna.

Quibus conlatis alterum poetam alterius ignarum fuisse negandum est. Quae Prudentius fusius dixit epigrammatis in modulum constrinxit alter poeta, quem fuisse Leonem primum episcopum uel eius aequalem cogitare licet (cf. Lib. pontif. in Leone § VI *hic renouauit basilicam beati Petri*; cf IChr. II 54 s, 5—10). Conferatur etiam

Haec domus est fidei (IChr. II 68, 31, 1) et
Haec domus est Christi semper mansura pudori,
iustitiae cultrix plebi seruauit honorem (IChr. II 151, 22).

Hexametri clausula *aula pudoris* redit etiam in titulo AL epigr. 746, 3.

Similiter carminis Xysti III (a. **432—440**) AL epigr. 912 magna pars in Africa saeculo sexto repetita est (cf. IChr. II p. 48):

Cede prius nomen [no]uitati cede uetustas
regia laetan[t]er uota dicare [l]i[b]et.
haec Petri Paulique sedes Cristo iubente resurgit.
. . . .
(5) unu[m q]ues[o pa]res unum duo [sumit]e munus

unus honor celebr[et quos h]abet una fides
pre]s[byteri ta]men [h]ic o[pus est] et cura Probanti

(CIL. VIII 10707 et 10708); Xysti carminis u. 3 s est:

haec Petri Paulique simul nunc nomine signo
Xystus apostolicae sedis honore fruens.

ib. u. 6 *celebrat*, 7 *hic labor est et cura Philippi.* Primus uersus paulum inmutatus repetitus est etiam Rauennae a Neone episcopo (medio fere saeculo quinto) *Cede uetus nomen, nouitati cede uetustas.* (AL epigr. 320). Similiter

prisca en cesserunt magno nouitatis honore (CIL. V p. 149, 4, a. **580**)
priscaque cesserunt magno nouitatis honore (IChr. II 54, 5, 6, a. **498**
egregium miratur opus sublata uetustas [—**514**)
qu[ae] melior cultu nobiliore re[d]it (CIL. XI 262, 5 s, saec. **VI**).

Distichum Pelagii ut uidetur alterius (a. **578—590**) AL epigr. 918

Scandite cantantes domino dominumq. legentes
ex alto populis uerba superna sonent

repetitum est a Sergio (a. **687—701**) IChr. II 437, 122 a.

Carmen *Dum peritura Gethae posuissent castra sub urbe* cet. (AL epigr. 917) et in coemeterio Jordanorum uia Salaria noua et in coemeterio ad duas lauros uia Labicana inscriptum fuit; cf. Rossi ad IChr. II 100, 18, Buecheler l. c.

Conferantur etiam carminis Ambrosiani (AL epigr. 906) uersus aliquot cum carmine Serenae, Stilichonis uxoris, anno **397** composito (ib. 907)

sacra triumphalis signat imago locum (906, 4)
quem pius Ambrosius signauit imagine Christi (907, 5)
crux ubi sacratum caput extulit orbe reflexo
hoc caput est templo Nazarioque domus (906, 7 s)
qua sinuata cauo consurgunt tecta regressu
sacrataeque crucis flectitur orbe caput (907, 1 s).

Pelagium siue primum siue alterum (saec. **VI**) imitatus est Honorius I (**626—638**); cf.

Vox arcana patris caeli quibus aequa potestas
descendit terras luce replere sua (IChr. II 145, 7, 1 s)
Lux arcana, dei uerbum, sapientia lucis
atque coruscantis splendida imago patris
ad nos descendit nec quo fuit esse recessit (ib. 145, 5, 1 ss).

Carmen ecclesiae Turonicae *Ingrediens templum refer ad sublimia uultum* (Le Bl. 170) redit IChr. II 275, 19, 20 ordine uersuum immutato et nomine Stephani pro Martino contra metrum substituto (cf. Rossi comm. ad. l. c.); uide etiam *Ingrederis quisquis radiantis limina templi* IChr. II 53, 5, 1 (a. **498—514**).

Addam hoc loco alios quoque uersus carminum ecclesiis inscriptorum inter se similes, quorum aliquot conlegit Le Bl. I p. 249:

Templa micant plus compta fide quam luce metalli (IChr. II 246, 8, 1, saec. V)
Templa micant Stephani meritis et nomine sacra (CIL. XI 299, c. a. **550**)
cuncta micant, si lux tota luminatur in aula (IChr. II, 54, 5, 4, a. **498—514**)
Aula micat . . . uirtutis opus reparante ministro (AL epigr. 919, 1)
iure micat rutilo leuitarum aula colore (IChr. II 286, 5, 3)
Virginis aula micat Christum quae cepit ab astris (CIL. XI 284, 1, c. a. **521—532**)
Virginis aula micat uariis decorata metallis
sed plus namque nitet meritis fulgentior amplis (IChr. II 63, 6, a. **626—638**)
Virginis in uariis radiat domus alta figuris (Mai, scr. uet. V p. 93, 3. Le Bl. l. c.).

Paschalis primi (**817—820**) sunt:

Haec domus ampla micat uariis fabricata metallis,
olim quae fuerat confracta sub tempore prisco (IChr. II 151, 26, 1 s. Le Bl. l. c.)
Ista domus pridem fuerat confracta ruinis
nunc rutilat iugiter uariis decorata metallis (IChr. II 440, 138, u. 1; u. 1 et 2 Le Bl. l. c. totum carmen Rossi *Musaici* fascic. 15 et 16: *Musaico dell' abside di s. Maria in Domnica*).
emicat et uario fulget distincta metallo (IChr. II 168, 21, 2, Ticini c. a. **727—729**)
Atria quae cernis uario formata decore (CIL. V p. 149, 1, a. **580**)
Aula dei claris radiat speciosa metallis (IChr. II 71, 41, 1, a. **526—530**)
Emicat aula pi⟨a⟩e uariis decorata metallis (Le Bl. l. c. De Rossi IChr. II 353, 6. 438, 124. *Musaici* fascic. 5).
Emicat alma foris rutiloque decore uenusta
arca metallorum geminis qu(a)e compta coruscat (Le Bl. l. c. Mai, scr. uet. V p. 75, 3 et 463)

Aurea concisis surgit pictura metallis (IChr. II 89, 42, 1, a. **626—638**)
praesulis eximii uotis pictura coruscat (ib. 139, 29, 5)
Aspicis auratum caelesti culmine tectum
astriferumque micans praeclaro lumine fultum (ib. 152, 31, c. a. **648**)
Pulchra patris splendet baptistae mensa Joannis (Le Bl. l. c. IChr. II 152, 33, 1)
Inclyta praefulgent sanctorum limina templi (Le Bl. l. c. Mai, scr. uet. V p. 137, 1).

De sepulcralibus carminibus acturus praemoneo me paganorum poetarum opera cum his non conferre, nam neque ad aetatem definiendam ex illis quidquam concludi potest, et de his nuper egit Hosius, mus. Rhen. uol. L, 1895. Nec magis paganos titulos, exceptis paucis, comparandos esse putaui[1]; unum tamen hoc loco commemorem exemplum, quod editores fugisse uidetur: carmen enim paganae ut uidetur originis AL epigr. 591

Terrenum corpus, caelestis spiritus in me,
quo repetente suam sedem nunc uiuimus illic
et fruitur superis aeterna in luce Fabatus

redit ab Huebnero inter suspecta reiectum IHChr. n. 13* (libris manu scriptis traditum, in quibus u. 3 omittitur *in*)[2].

Haud pauca sane lucramur comparatis inter se Christianis carminibus sepulcralibus: nam si toti uersus bis inueniuntur in titulis eiusdem urbis, alterum ab altero plerumque aetate non nimium distare, uteruter prior sit, consentaneum est. Item si opiniones sententiaeque (uelut de morte, de uita post mortem futura similibusque) aut iisdem aut similibus uerbis expressae iterum iterumque repetuntur, etiam ex usu harum sententiarum siue frequentiore siue rarescente aliquid elici posse uix negabitur. Denique e serie uerborum (uelut laudandi causa conexorum), quin

1) tam e Christianis quam e paganis titulis et auctoribus quae sint inter se similia conlegit Weymann, act. gymn. Bavaric. XXXI 1895.

2) 'Exstare marmor parieti ecclesiae inmissum prope Hispalim Ilipulae (CIL. II p. 122) nuper ab Anglo quodam compertum mihi rettulit Huebner: *genau dasselbe Epigramm*' adnotauit mihi Buecheler.

etiam e singulis uerbis rarioribus uel nouis aliquid de alterna imitatione atque de aetate carminum statuere licet.

Totum uersum repetitum habes AL epigr. 716, 12 et IChr. II 109, 61 a, 6

inuidia infelix tandem compressa quiescit.

Gregorii primi (mortui a. **604**) epitaphii (IChr. II p. 52, 1) uu. 1 et 2 repetuntur Ticini, ib. 166, 14 cf. AL epigr. 1477

Suscipe terra tuo corpus de corpore sumptum
reddere quod ualeas uiuificante deo

(p. 166, 14 u. 1 *tuum*, u. 2 *quo*). Cum his confer etiam Prudentii uerba C. X 125 s

Nunc suscipe terra fouendum
gremioque hunc concipe molli.

Altero loco ex altero suppleuit Rossi uersus

Sidera me retinent nil me [mors impia terres]
ad uitam redii quae sine [fine manet]

AL epigr. 1363, 1 s (*terret* Rossi et Buech.) et IChr. II 112 s, 74, 1 s.

Hic iacet ingenio celsus celeberrimus ore (AL. epigr. 1411, 1)
Hic iacet ingen[io . . . (ib. 1351, 1, a. **423**).

Eiusdem carminis 1351 u. 6 exhibet formulam in paganis tritissimam

sint cineres grati, sit tibi ter[ra leuis].

Complures uersus translati sunt ex epitaphio ab Amato episcopo Veseronciano Felici antecessori facto (Le Bl. 377) in ipsius Amati epitaphium (ib. n. 373 A).

Amplum locum obtinent in titulis Christianis, interdum etiam in paganis, eae sententiae, quibus corpus terrenum humi iacere, anima caelum conscendere dicitur; huius sententiae exempla adlaturus praemittam uersus Prudentii eandem rem similiter exprimentis

Vt, dum generosa caducis
ceu carcere clausa ligantur,
pars illa potentior exstet,
quae germen ab aethere traxit (C. X 21—24)

Hi rapiant artus, tu rape, Christe, animam (P. XI 110)

Similia ne in paganis quidem titulis deesse dicta de uita post mortem futura hoc loco commonuisse sufficiet; uide talia AL epigr. 423, 5. 433, 7 s. 435, 2. 492, 11. 498,

7. 499, 2. 525, 5 ss. 545, 3 s. 555, 9. 569, 6. 588, 4—9. 590, 2. 591 (quem titulum habes supra p. 40). 603, 4 s. 611, 3 ss. 612, 2 s. 617, 4. 618, 2 ss et 9. 1061, 8 et 12. 1109, 15—28. 1188, 4. 1189, 6. 1190, 5 s. 1206, 5. 1207. 1223, 12. 1250, 4. 1257, 7. 1277, 2. 1288, 4. 1298. 1311, 5 s. 1318, 5. 1326, 2; coniectura restituta sunt 420, 22. 544B, 1. 1198, 15. 1200, 6. 1300, 7—10.

Christiana quae secuntur exempla ita composui, ut similitudines magis elucerent; attamen nonnulla quamuis compluribus similia, ne molestus fierem, semel posui.

Inueniuntur autem in Christianis carminibus haec illius sententiae exempla:

Membra solo posuit, caeli perrexit ad astra (AL epigr. 692, 3 et 778, 8, uterque titulus anni ut uidetur **476**).
Hic positis membris purus perrexit ad aethram (ib. 1422, 1)
bustus membra tenet, mens caeli perget in astra (ib. 1433, 4)
spiritus astra petit, leti nil iura nocebunt
cui uitae alterius mors magis ipsa uia est (IChr. II 52, 1, 3 s, a. **604**)
spiritus astra petit, corpus in urna iacet (AL epigr. 1392, 4, a. **64**)
astra tenent animam, cetera tellus habet (ib. 1420, 2)
astra fouent animam, corpus natura recepit (ib. 1362, 5, a. **502**?)
carne tenet tumulum, mentis honore polum (Le Bl. 205, 4)
mittere ad astra animam, reddere corpus humo (IChr. II 128, 9, 12, a. **615**)
nam sua membra dedi]t terris, ut redd[eret astris
spiritum ouans sanc]tis (AL epigr. 674, 8 s, **386**)
dant animas caelo, dant sua membra solo (IChr. II 261, 3, 4)
ut caelo reddens animam sic membra sepulcro (Le Bl. 220, 3)
corpus humi, animam Christo — dedisti (AL epigr. 755, 1)
ad summos animam caelos emisit opimam,
corpus humi mandans terrae terrena reliquit (Le Bl. 425, 32 s, a. **522**)
terrenos terrenis sedibus artus
reddidit; inque sinus summi genitoris apertum
aethera peruolitans leuibus se sustulit alis,
caeloq. et terris placida sic pace repostus
felix luce noua saeclorum in saecula gaudet (AL epigr. 734, 3—7)
terrenum nunc terra tegit, mens nescia mortis
uiuit et aspectu fruitur bene conscia Christi (IChr. II 62, 1, 7 s, a. **432**)
terrenum tumulo dans animam superis (AL epigr. 1366, 4, a. **512**)
hic sunt membra quidem, sed famam non tenet urna
nam durat titulis nescia uita mori (ib. 1376, 5 s, saec. **VI**)

corpore nam tumulum, mente superna tenet (ib. 1394, 22, a. **689**)
sedibus en propriis mens pura et membra quiescunt:
ista iacent tumulo, gaudet at illa polo (ib. 1354, 3 s, saec. V med.)
corpus habet tellus, animam caelestia regna
sic sedes proprias singula rite tenent (IChr. II 137, 19, 3 s)
[nunc te tellus habet (AL epigr. 678, 4, a. **398**)]
nec quae corpus habent saxa tenent animam (IChr. II 113, 79, 8, Spolet. c. a. **418**)
caelestia regna
[i]ste uidet, cuius membra sepulta p[remis] (AL epigr. 1385, 1 s, a. **565**)
mens uidet astra, quies tumuli complectitur artus (Le Bl. 595 A, 3)
hic carnis spolium liquit a[d] astra uolans (AL epigr. 688, 5, c. a. **450**)
uix tenet hic tumulus laudes, qui contegit artus (Le Bl. 462, 8, a. **562**)
Hoc, Auguste, quidem tumulo tua membra quiescunt,
sed numquam meritum paruula claudit humus (IChr. II 137, 19, 1 s)
hoc tomolo cuius tantum nam membra quiescunt,
l(a)etatur patria mens, paradise, tua (AL epigr. 1369, 9 s)
in ista
mente petens Christum membra recondit humo (IChr. I 753 b = II 69, 36, u. 1 s, a. **474**)
corporis haec domus est, nam te, pia uirgo, supernum
accipit imperium placidae post munera mortis (CIL. V 623, 16, 11 s)
artus obit terris, lux tua facta tenet (CIL. XI 307, 4, c. a. **606**)
h[abet eius]
caelum animam, acta orbis, pars ergo mi[nor manet istic] (AL epigr. 655, 12, c. a. **400**)
purpuream rapiunt animam caelestia regna
sanguine lota suo membra tegit tumulus (IChr. II 88, 34, 4 s)
post animas Christo tradentes sanguine fuso
ut uitam caperent non timuere mori (IChr. II 67, 25, 7 s).

Similiter etiam omissa corporis mentione uita post mortem et in caelo et in terra futura saepius memoratur; cf. Prud. P. XIII 86 *uehit ad superna mentes* —

sed reuehens caelo pro meritis animam (AL epigr. 1444, 4)
uitam migrauit in illam
debita quae sanctis aeternos reddit honores (IChr. II 62, 1, 3 s, a. **432**)
quid mirum si morte caret post busta superstes? (AL epigr. 1368, 7)
nam meritis toto uiuit in orbe [suis] (IChr. II 91, 55, 2)
uitae summa breuis, sed castae gloria famae
temporis angusti continuauit opes (ib. 163, 7, 5 s)

uinceret ut mortem perpetuauit opus (AL epigr. 1436, 8)
nil tibi mors nocuit cum hic uiuis laude perenni (ib. 1408, 7)
nulla tuos poterit titulos delere uetustas,
aeterna in libris nam tibi uita uiget (ib. 1411, 13 s)
sed qui uiget meritis, non habet ille finem.
hic nil mors adimes, corpus seruate sepulchra,
non tegitur quicquid posteritate uiget (IChr. II 112 s, 76, 4. 11 s)
qui neque post requiem fama uigente perit (ib. 88, 37, 2)
immortalis eris, nam multa laude uigebit
uiuax uenturos gloria per populos (Le Bl. 595 A 7 s)
nam quem plena fides, celsae quem gloria mentis,
quem pietas, quem larga manus, quem fama perennat,
nil socium cum morte tenet (Le Bl. 402, 4 ss, saec. **VI**)
corpora cum desint, inclyta gesta manent (AL epigr. 1381, 10, a. **552**)
sedem uicturis gaudens componere membris (Le Bl. 242, 4, ante a. **458**).

Admodum saepe obseruatur in titulis sepulcralibus Christianis mortem despici, ne dicam derideri; quod uelim conferas cum prioris epistulae ad Corinthios missae XV 54 s *absorpta est mors in uictoria; ubi est, mors, uictoria tua? ubi est, mors, stimulus tuus?* adde etiam Iuuenc. IV 757 *deuicta morte.*

In inscriptionibus haec leguntur:

superata morte triumphans (IChr. II 114, 79, Spolet. c. a. **418**)
Christus, quo duce mors moritur (AL epigr. 1354, 6)
et mortem iussit mortuus ipse mori (sc. *Christus*) (IChr. II 110, 63, 22)
postquam, mors, Christi pro nobis morte peristi,
in domini famulos nil tibi iuris erit;
pone trucem rabiem, non est saeuire potestas,
aut quid uicta furis nil nocitura piis? (AL epigr. 1391, 1—4, a. **607**)
non multum, mors dira, noces in funere iusti,
nil tua tela grauant: possidet astra pius (ib. 1412, 9 s)
in tumulo, moro saeua, iace. caelestia regna
[i]ste uidet, cuius membra sepulta p[remis] (ib. 1385, 1 s, a. **565**)
Sidera me retinent, nil me mors inpia terres;
ad uitam redii quae sine fine manet (IChr. I 928, 1 s [= AL epigr. 1363, 1 s] a. **503**, et II 112, 74, 1 s)
hic nil mors adimes, corpus seruate sepulchra (IChr. II 113, 76, 11)
nil breuis ergo dies, nil mors detraxit acerba (AL epigr. 1337, 7)
quo demigrante Belial
cessit et ingemuit hic nihil esse suum (ib. 1347B, 25 s, c. a. **400**)
mors nihil est, uitam respice perpetuam (ib. 1361, 8, a. **498**)

uiuit enim, nam mors quem tulit ipsa timet (Le Bl. 205, 6)
mortalem moriens non timet ille uiam (AL epigr. 1390, 4, a. **585**)
qui mortem uicit meritis (ib. 1359, 3)
mortis sic uincula uincat (ib. 726, 5 (a. **783**).

Etiam certi uerborum nexus aut iidem aut paulum inmutati reuertuntur in diuersis carminibus. Huiusmodi imitationis Le Blantius (*inscr.* II p. 591) haec conlegit exempla:

uteletas miranda uero laudanda uolumtas (Le Bl. 698, 3)
utilitas eurum laudanda nemis miranda uolon tas (ib. 380, 3 s)
amicus omneuos, umane tas laudanda nemis mi randa uoluntas (ib. 383, 3 ss)
amicus omnebus, fedes et humanatas sates laudanda (ib. 382, 2 ss).

His ego addo:

mente fide merito (Le Bl. 560, 3)
mente fide meritis (IChr. II 62, 5, 2, a. **626—638**)
nomine mente fide meritis pietate Sacerdus (AL epigr. 1381, 1, a. **552**)
mente fide opere (IChr. II 78, 1, 12, a. **626—638**)
moribus ingenio corpore mente fide (AL epigr. 1370, 6, a. **525**)
[or]nast[i p]roauos mente pudore fide (ib. 1385, 8, a. **565**)
ornabat thalamos mente pudore fide (IChr. II 92, 60, 6)
spe uirtute fide spiritus auctus erat (IChr. II 165, 12, 16, Ticin. a. **744**)
Germanus uirtute fide corde ore beatus (Le Bl. 205, 3)
uirtutis fidei pietatis honoris amicus (AL epigr. 1347A, 13, c. a. **400**)
fidei ac pietatis praemia (ib. 302, 16)
marmoribus titulis nobilitate fide (ib. 919, 5)
ingenio uirtute modo doctrina decore
omnibus officiis praepollens (ib. 584, 1 s)
pietate honore decorus (ib. 766, 2)
et simul erectus mitis pietate serenus (ib. 1387, 21, a. **573**)
p]ietas prudentia uultus
. . or probitasq. pudorq. (Le Bl. 457 B, 4 s)
iustitia pietate fide prudentia sollers (AL epigr. 736, 2)
cuius pura fides probitas uigilantia sollers (ib. 690, 2, a. **471**)
dogmate consilio sensu probitate uigore (ib. 1381, 3, a. **552**)
namq. bonus prudensq. simul probitate modestus (IChr. II 69, 37, 5)
plus probitate cluens (Le Bl. 429, 10)
plus bonitate pius (AL epigr. 1408, 4)
plus pietate bonus (IChr. II 112, 75, 2)
lege dei miserans et pietate bonus (CIL. XI 264, 10, c. a. **550**)
adfectus pietas forma pudicitia (AL epigr. 1443 A, 7)
forma pudicitiae (IChr. II 165, 12, 26, Ticin. a. **744**)

forma pudoris (AL epigr. 1358, 1, a. **472**)
iustitiae facies, pudor integer, omnis honestas (ib. 652, 1, a. **368**)
pudicitiae domini pacisque magistri (IChr. II 88, 38, 3)
primus eras nullique patrum uirtute secundus (AL epigr. 1347 B, 17, c. a. **400**)
eloquio primus, nulli probitate secundus (ib. 753, 2).
clarusque genus (AL epigr. 1347 B, 5, c. a. **400**)
clara genus (ib. 1434, 3 [Ambros.] et 640, 2)
nobilis alloquio, moribus nobilior (IChr. II 165, 12, 12, Ticin. a. **744**)
alloquio clarus, uita sed clarior alma (ib. 167, 16, 22, Ticin. saec. **VII** ex.)
tu quoque Romulea uixisti clarus in urbe,
clarior et mentis per tua facta manes (ib. 92, 59, 3 s)
clarior in patria nobilitate Probus (*probus*) (AL epigr. 1408, 6)

similiter ad Proborum nomen saepius adluditur:

nobilitate Probus (IChr. II 112, 76, 8)
nobilitate Probum (AL epigr. 1409, 6)
nomine quod resonas, imitatus moribus aeque
Iordane ablutus nunc Probus es melior (ib. 1347 B, 3 s, c. a. **400**)

sine nominis adlusione est:

moribus ortum
uicerunt probi nobilitate sua (Le Bl. 641, 7 s)
corpore corde probus (ib. 167, 4)

contra simile illis est:

germine sublimi, Proba nomine, mente prouata (AL epigr. 1361, 1, a. **498**)

uerbi causa addo:

pia semper mente probatus (ib. 769, 11)
uirtute probatum (Le Bl. 503, 1, saec. **V** ex.)
domne probate (IChr. II 183, 22, 2).

Nominum adlusiones praeterea habes:

ecce Deusdedit nomen qui forte gerebas
ecce deus dedit regna beata tibi (IChr. II 67, 27, 11 s)
a deo sic datus altaris fuit ille minister,
nomen ut aequaret uita decora uiri (ib. 69, 36, 5 s, a. **474**)
in commune bonus Bonifatius inde uocatus (ib. 128, 10, 11, a. **625**)
a modico dictus deuoto corde minister (ib. 167, 17, 5)
floride, non aliter, uenerandus Floride perge
caelestis per regna dei (AL epigr. 686, 16 s, a. **427**)
sanctus nomine, sanctus innocentia (ib. 1407, 2).

Paene formularum instar adhibentur adiectiuorum quoque longae series, quibus defunctus laudatur. Tales sunt:

sobria cas[ta (AL epigr. 663, 4, a. **363**)
quae mihi semper casta pudica (Marini, *Arv.* p. 266, 3)
castam pudicam et inuiolabile(m) semper (AL epigr. 656, 12, c. a. **300**)
sincere caste integreque pudice (ib. 787, 19)
casta pudica fui Mnesithea [b]ona marito (ib. 561, 1)
casta pudica pudens, con[iu]g(i) cara suo (in titulo ethnico CIL. IX 3543)
casta pudens (AL epigr. 959 A, 2, ethn.)
casta pudica decens sapiens generosa probata (ib. 843, ethn.)
casta decens sapiens humilis iocunda marito (ib. 1440, 5)
sancta pudica decens uni deuota marito (ib. 736, 3)
casta decus morum sapiens deuota marito (1430, 5)
casta pudica sapiens uno contenta marito (CIL. XI 2538, saec. fort. **III**)
uno contenta marito (AL epigr. 643, 5)
casta maritali semper deuincta pudore (ib. 652, 2, a. **368**)
tu casto labio pudica uerba promebas (IChr. II 171, 29, 9, Ticin. saec. **VII**)
casta grauis sapiens clemens moderata quieta (AL epigr. 782, 2)
casta grauis sapiens simplex ueneranda fidelis (IChr. I 753 a = II 69, 35, 4, a. **451**)
moribus apta meis semper ueneranda fidelis (AL epigr. 761, 11)
mansuetus patiens mitis uenerabilis aptus;
iam paradisiacas possidet aptus opes (ib. 1387, 9. 24, a. **573**)
dulcis aptissimus infans (ib. 772, 1)
abstutus passiins (= astutus patiens) dulcissemus aptus (Le Bl. 373 A, 4, a. **626**)
abstuti passiins dulcissimi apti (ib. 380, 3 s)
abstutus [l]argus dulcissimus aptus (ib. 377, 3, saec. **VII**)
rectus patiensque benignus (AL epigr. 1391, 9, a. **607**)
iudicio rectus iudicioque pius (IChr. II 111, 69, 8)
quem papae rectum probauerunt atque fidelem (ib. 100, 12a, 6)
Eutichius sapiens: sapiens pius adq(ue) beni[g]nus (AL epigr. 1346, 3, a. **393**)
communis sapiens humilis moderatus honestus (ib. 1409, 9)
inlustris sapiens humilis moderatus honestus
communis gratus, plus bonitate pius (ib. 1408, 3 s)
communis carus humilis (ib. 1424, 13, saec. **VI**)
communis placidus hilaris iucundus honestus (ib. 1413, 5)
sublimis humilis mediocris diues egenus (IChr. II 165, 12, 21, Ticin. a. **744**)

pro Christo pauper despectus uilis egensque (Le Bl. 321 C, 5)
insons honesta (AL epigr. 740, 3)
gratus dulcis ouans humilis pius (ib. 1375, 13, a. **533**)
bla]ndus dulcis obans pollens grauitate magistra (ib. 1385, 7, a. **565**)
grauitate magistra (ib. 1337, 5)
bonitate magistra (ib. 1375, 7, a. **533**, et 1377, 7, a. **535**)
pietate magistra (IChr. II 52, 1, 11, a. **604**)
mitis in aduersis positus rebusque secundis (ib. 128, 10, 7, a. **625**)
ac simul erectus mitis pietate seuerus (AL epigr. 1387, 21, a. **573**)
solacius misericors omnibus notus (IChr. I 211, 3, a. **369**)
misericors largus meruit per saecula nomen (IChr. II 102, 30, 8, a. **398**)
largus magnanimus mitis moderatus honestus (ib. 167, 16, 21, Ticin. saec. **VII**)
sollers magnanimus (ib. 294, 2, 1, a. **550**)
sollers fidusque minister (ib. 129, 13, 3, a. **686**)
doctrina prudens uerbo linguaque peritus
sollertem sese omnibus exhibuit (ib. 216, 82, 9 s, a. **882**)
munificus constans sollers prudensque modestus (ib. 165, 12, 9, Ticin. a. **744**)
munificus sapiens castus sincerus et aequus (ib. II 128, 10, 13, a. **625**)
remotus prudens mitis grauis integer aequus (AL epigr. 787, 16)
integer adfabilis (ib. 1351, 3, a. **423**)
prudens et innocua (ib. 737, 9).

Pauperes a defuncto adiutos esse hisce uersiculis exprimitur [in prosa oratione est *amatrix pauperorum* IChr. I 62 (a. **341**), *amicus pauperum* ib. n. 262 (a. **377**) *pater pauperorum* Le Bl. n. 386, ubi editor optime confert Job XIX 15 s *oculus fui caeco et pes claudo*; *pater eram pauperum*]:

nam uidualis apex pupillorumque falanges
caecorumque chorus dux tibi lucis erit (IChr. II 128, 10, 15 s)
pauper laetus abit, nudus discedit opertus,
captiuus plaudit liber sese esse redemptum (Le Bl. 425, 20 s, a. **522**)
hospitib(us) gratus, se ipsum donabat egenis,
illos eloquio, hos satiabat ope (AL epigr. 1371, 15 s, a. **529**)
parcus opum nulli, largus et ipse sui (ib. 1347 A, 14, c. a. **400**)
parcus sibi, largus amicis (Le Bl. 492, 15)
parcus in abundantia locuples egentibus uixit (IChr. II 294, 2, 10, a. **550**)
pauperibus locuples sibi pauper (AL epigr. 312, 7, a. **422**–**432**)
pauperibus diues sed sibi pauper erat (IChr. II 67, 27, 10)

pauperibus diues (IChr. II 217, 88, 9, a. **999**)
prodiga pauperibus, nam sibi parca nimis (AL epigr. 1436, 6)
pauperibus[que] pius (IChr. II 69, 37, 6, non ante saec. **V**)
pauperibus pius (ib. 216, 84, 7, a. **985**)
pauperibus promptus simplicibusque pius (AL epigr. 1387, 10, a. **573**)
largus pauperibus, diues tibi, carus amicis (IChr. II 137, 19, 7)
pauperibus largus miseris solatia praestans (ib. 57, 18 = 126, 3, 5, a. **530**)
pauperibus largus uixisti, nulla reseruans,
dedisti multis quae modo solus habes (AL epigr. 1382, 9 s)
diuitias proprias Christi praecepta secuti
pauperibus larga distribuere manu (IChr. II 66, 25, 3 s)
fundere pauperibus quidquid concesserat annus (AL epigr. 761, 7)
pauperibus donauit opes mortalia linqens (ib. 778, 5, saec. **V** ex.)
pauperibus numquam parta negare sibi (IChr. II 208, 34, 16, a. **559**)
fotis pauperibus (AL epigr. 1365, 6, a. **506**).

Restat, ut singulas uoces rariores uel alia de causa notatu dignas enumerem:

abbas CIL. X 1539 (a. **468**). AL epigr. 712, 4. 19 et in acrost. et in subscr. (a. **553**). 720, 1 (a. **630**). 789, 1. Le Bl. 471, 4.

abbatissa CIL. X 4514 (a. **569**). Le Bl. 615.

acoluthus Le Bl. 36 (a. **517**). IChr. II 56, 16. AL epigr. 758, 6.

admixtus coetibus angelicis IChr. II 165, 12, 6 (Ticin. a. **744**); *coetibus a.* [*sanctis*] AL epigr. 767, 6.

